Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0001-5

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
III A 212
SIGNAT. cIↃIↃCCCXIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0003-6


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0004-2

PHILIPPI MELANTHONIS EPI GRAMMATVM LIBRI TRES COLLECTI

AB

HILBRANDO GRATHVSIO Vfflenienſi.

Σπεύδᾱζε μικρὰς τέχνας κοσμεῖν ὁ μελαγχθων,
Οὐδ' εὐεργεσίᾱν πλὴν ἢ νόμιζ' ὀλίγων.



VITEBERGAE
EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.
ANNO. M. D. LX.

A

HILBRANDVS GRA-
THVSIVS.

~~Crede mihi, non est ars multos fingere uersus,~~
~~Paucos atq; bonos scribere laudis erit.~~
~~Non canit inflatâ bullatos mente Melanthon~~
~~Versus, mirandâ sed breuitate bonos.~~
~~Hos licet impurô proscindat Zoilus orc,~~
~~Attamen hi nobis nobile nectar erunt.~~
~~I procul ad socios stygiâ sub ualle morantes,~~
~~Tantô ut sit momô terra grauata minus.~~

In epigŏi ponderis, formæq; Veteris
libellŭm, quem Gr. ἐπίγραμμα sŭum Gr. Græci
Gr. ἐλεγεῖον Lat. Elegiacum sive
Germanensi dabat Ianŭs Spar-Warth,
D. Eccl. Hall. Past. Ecclesiastes.

Est precij parui, quem do, mea
Cŭra, libellŭs;
Est parui: nauŏ parui signa
fauoris alit.
Signa fauoris alit; Tamen do,
meo cŭrso, libenter, o
Quam Tu suscipies. Quem
bene uelle precor.

ILLVSTRIBVS COMITIBVS, DOMINO BERNHARDO, ET DOMINO HERMANNO SIMONI COMITIBVS LIPPIENSIBVS

PHILIP. MELANTH. S. D.

MIRABILITER & colligit & protegit Ecclesiam Deus. Cum Arminius in illis ipsis campis, qui nunc uestri, & ornati sunt Ecclesijs, doctrina, & ædificijs, deleuit tres legiones Romanas, & adsidua bella in his regionibus gessit, alibi in Syria Deus Ecclesiæ dedit talia Halcyonia, ut Christus adolescens cum matre ex Galilæa tuto Ierosolymam ad festa ire posset, & semina doctrinæ spargere posset. Nam Arminij pugna facta est Consulibus Sulpicio & Poppeo Sabino, ut narrat Dion, uidelicet anno un

decimo, postꝯ Christus ex uirgine natus est. Nūc in Palæstina tetra barbaries est, & dominatur Turcica impietas: Contra uerō in hac Arminij & uestra patria, filius Dei immensa bonitate, & colligit æternam Ecclesiā, et dulci pace fouet. Hoc beneficiū Dei agnoscamus, & causas cogitemus, propter quas istæ pulcherrimę regiones in Oriente, et Euangeliū & honestas politias amiserūt, uidelicet quia impia dissidia disputationum, accenderunt odia gubernatorum mutua, hęc attraxerunt peregrinas gentes. Has pestes caueamus, & ardentibus uotis precemur filium Dei, ut nos doceat, & gubernet, & faciat ut unum in IPSO simus. Pij gubernatores etiam benignè foueant Ecclesias, adiuuent ueræ doctrinæ studia, & gliscentes discordias in teneris Ecclesijs sapientes opprimant. Hæc malebam ad uos scribere, quam de meis uersibus aliquid dicere, quos edidit uester subditus Hildebrādus & eruditus qui eos & ad uos mittit, & simul ā me uobis commen-

mendari uoluit. Optarim autem meas ineptias non esse editas, quia scio excellens Dei donum & opus esse, Poëticam, nec tam stolidus sum, ut me annumerem ijs, quos Deus, hoc tanto dono ornauit. Sed cum adolescentes de studijs multa monere cogar, iubeo omnes discere Carminum leges, & conari ut qualescunq; uersus connectant, ut Grammaticen melius discant, & ut procedant in eo studio, si qui ā natura adiuuantur, Libentius etiam legant poemata, qui non prorsus rudes sunt huius exercitij. Ideo interdum uel in doloribus, uel in itineribus aliquid scripsi ad iuniores inuitandos. Deo autem gratias ago, quod & Germaniæ dedit egregios Poëtas aliquot, quos & erudita antiquitas probasset, Eobanum, Sabinum, Stigelium, Micyllum, Georgium Fabricium, Adamum Siberum, & alios. Horum scripta inter uetera poemata legere iuniores etiam utile est, ut considerent exempla, quæ ostendunt, quomodo ueri Dei laudes

in Ecclesia carminibus celebrari pos=
sint. Vos autem Illustres Comites
oro, ut benignē & Ecclesias uestras fo=
ueatis, & uestrorum studia iuuetis: Pro
hac pietate certum est Deum uicissim
uobis benefacturum esse, & uos seruet
& gubernet toto eum pectore
oro. Bene ualete. Calendis
Nouembris, Anno
1559.

ILLVSTRIBVS ET INCLYTIS HEROIBVS ET DOMINIS, D. BERNHARDO, & D. Hermanno Simoni, Comitibus in Lippia: &c. Dominis suis reuerenter colendis.

CVM Persæ bello uastarent regna Pelasga,
Ac omnes Danai territa turba forent.
Pausanias auri, lucriq; cupidine feruens,
Neglexit patriæ iusq; fidemq; suæ.
Perfidus ad regis se confert limina Xerxis,
Mauortis facilem monstrat adesse uiam.
Quingentis auri acceptis à rege Talentis,
Occulta Spartam prodere fraude parat.
Quærere se patriæ simulat pietate salutem.
Sed tamen insidias nocte dieq; struit.
Fraudibus atq; dolis tentasset ut omnia, Sparta
Mittitur infida litera scripta manu.
Intercepta fuit sed epistola plena ueneni,
Nam felix nulli est proditionis opus.
Hinc Ephori postquam certò nouere sagaces
Pausaniæ mentem, perfidiæq; uias.
Prendere Magnanimæ conantur Alastora Spartæ,
In propius templum cautus at ille fugit.
Hunc pater ut sacra conspexit in æde retentum,
Mox claudi ualuas uoce tremente iubet.

Et ſimul aduolui lapides ad limina templi,
Ne pateat gnato ianua clauſa ſuo.
Sed maleſuada fames conſumat ut ipſius artus,
Quò fiat ſtygio præda petita cani.
Adiuuat hunc etiam Genetrix ſtudioſa laborem,
Non memor innatæ iam pietatis erat.
Sed primum aduoluit lapidem, quò proditor aſtu,
Et ueluti gladio concidat ipſe ſuo.
Poſt, ubi conſpexit crudeli morte necatum,
In proprios humeros flebile ſumpſit onus.
Ac extra fines Spartæ proiecit iniquum,
Sic uoluit patriæ conſuluiſſe ſuæ.

TAntus apud Veteres amor, & reuerentia quon-
Dilectæ patriæ gloria tanta fuit. (dam,
Vult Deus ut meritum patriæ præſtemus honorem,
Atq; colamus eos qui pia ſceptra gerunt.
Quis nõ hanc patriam, niſi plane ἄσοργος amaret?
Semina quæ ueræ relligionis habet.
Quiſue Magiſtratum coleret non iurè ſupremum?
Promouet inuictum qui pietatis opus.

VOS igitur Comites præluſtri ſtemmate natos,
Qui regitis patriæ tradita ſceptra meæ.
Quilibet ex animo meritò ueneratur, amatq;,
Ac celebrat claria nomina ueſtra chely.

Semina

Semina nam uerbi curatis ſpargere Chriſti,
Semina non dubia concipïenda fide.
Colluuiem Satanæ Monachos, clauſasq; puellas,
Tollere curatis dogmata falſa Papæ.
Ipſe quibus totum uexauit perfidus orbem,
Et multas animas truſit ad ima Stygis.
Jnijcitis ſtrygibus mordacia frena Papiſtis,
Vt maneat uerus relligionis honos.
Quis dubitat Chriſti corrumpere uerba Papiſtas?
Quis negat hos Satanæ dedita membra fore?
Admiſcent ſiquidem ſcripturæ ſomnia ſacræ,
Et ſimul inficiunt membra dicata Deo.
Dulcia uerba quidem, uelut angelus, arte loquũtur,
Sub quibus occultè dira uenena latent.
Abijcitis tales meritò, quia falſa loquntur,
Et colitis Doctos cordis amore uiros.
Qui inſtillant nobis uerum pietatis amorem,
Cum tantum Chriſti dogmata pura docent.
Ac certos greſſus regna ad cœleſtia monſtrant,
Atq; docent ſolam iuſtificare fidem.
Sic quia doctrinæ lapſum reparatis honorem,
Et colitis ueri iuſſa ferenda Dei.
Preſſa diu tenebris felix Eccleſia floret,
Auſpicio ueſtro tollit ad aſtra caput.
Sic reperit uultum Reſpublica lapſa priorem,
Et non exiguis laudibus illa uiget.
Cum pietatis honos magni reputatur, & omnis
Eſt pius, æternæ concomitantur opes.

E contra. Non est unquam Respublica felix,
Neglectus fuerit si pietatis honos.
Floreat utq; magis Respublica plena laboris,
Atq; Dei uerbi promoueatur honos.
Illustres Comites generoso sanguine creti,
Pieridum facili mente fouetis opes.
Insuper ornatis studio meliore Camænas,
Inuecto celebris nuper honore scholæ.
Hic ubi Pegaseis domus est gratissima Musis,
Et ubi Lemzouiæ mænia clara uides.
Nam schola ceu nutrix bonitatis, & agmimis huius.
Quod regit & seruat totius orbis opus.
Quis non hæc memori celebraret munera uoce?
Munera, quæ multum commoditatis habent.
Quis non eximijs Comites uirtutibus auctos,
Ac alias animi concelebraret opes?
Pro quibus hæc regio flagranti pectore grates
Æthereo soluit, qui regit ista, Deo.
Et rogat assiduis precibus clementer ut illos
Protegat, & seruet pro bonitate DEVS.
Quò bonitas summi celebretur in orbe Tonantis,
Et bonus atq; pius subditus esse queat.
Sic decet esse pios gratos pro munere, nanq;
Hoc amor & patriæ postulat, atq; DEVS.
Cùm Deus omne bonum nobis largitur abundè,
Hæc bona nos grata uoce referre decet.

DEDICATORIA.

HÆc animo memori mecum iam dicta reuoluens,
Præsertim patriæ munera tanta meæ.
Non uolui in patriæ laudes ingratus haberi,
Ac erga Dominos pro pietate meos.
Ergo labore pio hæc Epigrammata docta Philippi
Collegi, Clario carmina scripta stylo.
Sunt breuia, ast Hyblæ lepidum redolentia succum,
Semina sinceræ quæ pietatis habent.
Ista pij Comites uobis Epigrammata mitto,
Adductus patriæ dulcis amore meæ.
Et rogo per sacras demisso pectore Musas,
Hoc præsens placidè suscipiatis opus.
Adserite acceptum uestra uirtute libellum,
O pietate boni, consilioq; graues.
Quòd si feceritis, ut spes est magna, uicissim
Carmine Pierides nomina uestra canent.
Vndè citò meritæ surgent præconia laudis,
Et uos posteritas omnis in ore feret.
Nam licet intereant fului ramenta metalli,
Ipsa tamen uirtus posthuma sola manet.
Quam celebrant teneræ uicturo carmine Musæ,
Et pariunt gratis nomina clara uiris.
Nomina perpetuum pariunt memoranda sub æuum,
Pierides, celebrant & benefacta Ducum.
Contemptas igitur studiò releuate Camænas,
Atq; meum studium consulitote boni.
Sic uobis celebris florebunt nomina famæ,
Curaq; uenturæ maxima laudis erit.

Nam

Nam referunt gratæ uirtutis præmia Muſæ,
Terribilis quæ non Mors abolere poteſt.
Sed ne detineam ueſtras ambagibus aures
Pluribus, hic ſilum præſecuiſſe iuuat.
Viuite concordes patriæ duo lumina fratres,
Viuite felices, atq; ualete diu.

Veſtræ Celſitudini

deditiſſimus

Hilbrandus Grathuſius Vfflenienſis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0016-8

PHILIPPI MELANTHONIS EPIGRAMMATVM LIBER PRIMVS.

Detestatio negligentiæ ex Capite 17 Exodi.

Acer Idumæus loca per deserta uagantes
Arcere Ebræos finibus ausus erat.
Conseruitq; manus, sed Moses arma suorum
Adiuuat, & precibus prælia magna ciet.
Et uincit quoties palmas ad sidera tendit,
Quemq; uocat coram sentit adesse Deum.
Brachia sed quoties iterum lassata remittit,
Cogitur Ebræi cedere turba Ducis.
Ergò die toto dum fusus pellitur hostis,
Erectas palmas ut tenuisse queat.
Subijcitur cubitis orantis saxea moles,
Sollicitoq; suis corde petentis opem.
Sic quoties curamq; precesq; remisimus ipsi,
Otia securis insidiosa nocent.
Illecebræ uacuas subeunt dulcedine mentes,
Et facilè in uitium pectora prona trahunt.
Exacuant igitur tot nostra pericula curas,
Propositæ nobis exitijq; uiæ.
Nec quisquam putet his se emergere posse procellis,
Auxilium præsens ni Deus ipse ferat.

Condi=

Conditor æternus uera est tibi uoce rogandus,
Hunc tamen ut places, ara petenda tibi est.
Nulla est grata Deo, nisi Christus filius, ara,
Qui luit officio crimina nostra suo.
Huic appone manus, huic toto incumbito corde
Ad patrem nostras perferet ille preces.

IMAGO ECCLESIAE.

Exod. 33.

Moses stans in Cauerna rupis, ac uidens tergum Dei prætereuntis.

INsita sunt animis nostris ab origine prima,
Notitiæ autoris semina uera Dei.
Impositum ut nobis Dominum, sciremus & eius
Immotæ legi subdita uita foret.
Hei cur has flammas diuinæ extinguere lucis,
Tam multi obliti, seq; Deumq; solent.
Iustaq; legitimæ conturbant fœdera uitæ.
Contemptoq; ruunt in scelus omne Deo.
Sed paucos tamen hæc accensa in pectore flamma
Permonet, ut uitæ munera iusta colant.
His nouisse Deum propius coramq; uidere,
Quantum concedet, maximus ardor inest.
Ergò etiam Moses uultus in lumine claro,
Monstratos Domini cernere posse rogat.

Sed

Sed docet & Moſen, & nos, totumq; piorum
Agmen, ubi agnoſci ſe Deus ipſe uelit.
Non hæc pigra hominum cõcreta ex puluere moles,
Inſuper & uitijs contaminata ſuis.
Suſtinuiſſe poteſt diuini incendia uultus,
Cum ſordes noſtras Iudicis ira uidet.
Ergò iubet Moſen ſublimi inſiſtere rupi,
Illius & latebris ſe tenuiſſe cauis.
Hac ego præteriens, inquit, dabo terga uidenda,
Sic, ut & interea te mea dextra tegat.
Nos quoq; in immota docuit conſiſtere rupe.
Amplecti Gnatum dum iubet ipſe ſuum.
Et latebræ nobis ſubeundæ Eccleſia ſola eſt,
In qua Euangelij dogmata pura ſonant.
Namq; Deus tranſit per Mundi ſecula cuncta,
Vt cætus aliquos iungat & ipſe ſibi.
Nec genus humanum quod imago debuit eſſe,
Autorem referens omne perire ſinit.
Quosq; ſibi adiunxit locat uno in uertice cunctos,
Nemo illum ex alia cernere ſede poteſt.
Hi uocem agnoſcunt, & facta ingentia cunctis.
Præſentemq; uident ſemper adeſſe Deum.
Expectantq; olim uenturæ gaudia uitæ,
Et bona quæ nullo ſunt peritura die.
Tunc nec erunt diſcedentis ueſtigia tantum,
Nec tantum longè terga uidenda Dei.
Sed fulgore nouo propius ſpectabimus ora,
Colloquio dabitur perpetuoq; frui.

Arcanas

Arcanas cauſas inſpecto fonte ſcicmus,
Et gratæ mentes munera tanta canent.
Interea bellis lacerantur regna, ſuasq;
In pœnas fato mundus ubiq; ruit.
Ac uelut aggeſtis Tytanas montibus auſos,
Ad ſublimem arcton ſcandere fama refert.
Conatosq; aſtris extinctis, omnia rurſus,
In uetus & cœcum uertere mixta chaos.
Turcica ſic rabies paſſim ſeſe impia iactat,
Aduerſus Gnatum bella mouere Dei.
Deniq; dum uarijs cruciatur motibus orbis,
Exercent Chriſti multa pericla gregem.
Sed tamen hos inter terrores magna uerendi
Dextra pios cætus protegit ipſa Dei.

DE VAGIENTE ECCLESIA.

Æterni de mente patris ſapientia nata,
In qua Mundi operum fulſit idea noui.
Et quæ diſtinxit pulcherrima corpora rerum,
Et iuſſit formas ſingula habere ſuas.
Hæc eadem in paruis uagit ſapientia cunis,
Naturæ noſtræ membra tenella gerens.
Sic quanquam infundit ſe noſtra in pectora, nobis
Nondum ſe totam cernere poſſe dedit.
Vt tamen in nobis ſint tantæ exordia lucis,
Tanquam uagitus dogmata prima ſonat.

Non

Non ſpernis quanquam infirmos, ſi debita credant
Te λύ ξα pro nobis Chriſte dediſſe patri.
Ah precor infirmis adſis ut mentibus, atq;
Doctrinæ foueas ſemina ſparſa tuæ.
Dum tua ſe totam pandet ſapientia nobis,
Atq; patrem clara luce uidere dabit.
Quando mortali ſoluentur carcere mentes,
Et Duce te cœli culmina celſa petent.
Chriſte tuo exulibus patriam tu ſanguine reddis,
Nulla uenit nobis Te niſi dante ſalus.

DE NAVI CHRISTI,
Quæ eſt Eccleſia Dei.

AVricomum uellus poſtquam transuexit Iaſon
In patriam, ſperans debita regna ſibi.
Oppreſſit Dominum nauis de culmine lapſa,
Sub qua defeſſus iam cubat ipſe domi.
Non te Chriſte tamen tua, quã regis, opprimet Argo,
Quamuis & rimis eſt lacerata ſuis.
Tum quoq; cum fluctus ciet imo ex gurgite Orion,
Et rapidi uenti prælia ſæua mouent.
Quaſſatam medio in pelago Tua dextera ſeruat,
Et uerè es Nautis anchora ſacra tuis.
O uiua effigies æterni, luxq; parentis,
Defendas cœtus optime Chriſte tuos.

Qui tua non ficta discunt oracula mentè,
Atq; tuo poscunt Numine semper opem.

IN TABVLAM ECCLESIÆ Dei sub imagine Halcyonum, descriptam Carmine à Martino Socolouio.

FLuctibus in medijs pariens Ecclesia, quare
Halcyonum similis sit, tabula ista docet.
Illa sed est alijs etiam depicta figuris,
Naturæ impressit plurima signa Deus.
Nidus humi iacet inter saxa Hypolaidos, in quem
Ignauus Coccyx oua fouenda gerit.
Cumq; diu pauit cuculum officiosa uoracem,
Nec tamen ingluuiem iam saturare potest.
Tum sibi seruatæ soluens mala præmia uitæ,
Nutricem cuculus deuorat ore suam.
Sic pia se præstans Thammero Ecclesia matrem,
Serpentem proprio nutrijt ipsa sinu.
Non timet in matrem crudeles uertere morsus,
Ille nec esse Deum, qui uidet ista, putat.
Gnate Dei prohibe proprij defensor honoris,
Viscеribus cuculos se satiare tuis.

DE MOSE PERCVTIENTE PETRAM.

Qua regione Arabum fines, & Sineia rupes
Claudit, & incultas aſpicit alta plagas.
Aegra ſiti lymphas medijs quærebat arenis,
Gens ex Iſacidæ ſemine nata patris.
Et quanquam paßim terram effodere peruſtam,
Nulla ibi larga tamen uena reperta fuit.
Iamq; animas exhalabant, ſiccata labellis,
Dum matrum infantes ubera fortè trahunt.
Expirantq; ſimul matres, triſtiq; ſepulchri,
Munere maternus fungitur ipſe ſinus.
Hic iterum ſubeunt animos noua tædia uulgi,
Pœnitet & Pharias deſeruiſſe domos.
Nec tantum accuſant Moſen, ſed grandius addunt,
Quod premat indignos, crimen habere Deum.
Scilicet hæc miſeris nimium uulgata querela eſt,
Iuſta ſed eſt ſemper iudicis ira Dei.
Et quanquam ſontes punit, tamen inter eoſdem
Seruat relliquias agminis ipſe ſui.
Ergò iubet Moſen percuſſa educere rupe,
Pro populo undarum flumina larga ſuo.
Obſequitur Moſes, noua ſed confuſio mentem
Turbat & aggreſſo diriguere manus.
Et cuius nunquam pectus trepidauerat ante.
Si quando fuerant iuſſa obeunda Dei.
Iam ueluti nauis ſcopulis illiſa fatiſcit,
Sic rupem aſpiciens excidit iſte ſibi.
Et ferit & dubitat, ſed mox ſe colligit ipſe,
Et uigor in pectus, qui fuit ante, redit.

Ergò ardens iterum rupem Sineida pulsat,
Et baculo cogit cedere saxa suo.
Quodq; riget, latè loca uasta effundere flumen,
Vnde sibi dulces hauriat agmen aquas.
Hoc Deus exemplo monstrat se pascere egentes,
Quos ad militiam dirigit ipse suam.
Sed tamen & maius quiddam spectacula tanta
Significant, multum quod meminisse iuuat.
Legifer ut Moses est iussus scindere rupem,
Sic propter Legem uulnera Christus habet.
Lex immota manet, peccatum punit & odit,
Proponitq; iræ plurima signa Deus.
Verum ne prorsus natura humana periret,
Neue hæc frustra esset condita imago Dei,
Pro nobis Gnatus patris interceßit, aditq;
Pœnam, quam iusti sanxerat ira Dei.
Lex igitur Christum insontem percußit, & inde
Manarunt uitæ flumina grata nouæ.
Cur autem trepidat Moses? præsagia luctus,
Venturo in populo tunc pauor ille fuit.
Quæ legem, uocemq; Dei gens audijt una,
Hæc Christo Domino est inijcere ausa manus.
Venturum scelus hoc exhorrent pectora Mosi,
Et nondum noto mota dolore stupent.
Sæpè duces populi feriunt te maxime Christe,
Anteferunt dictis cum sua iura tuis.
Et cœci decus esse putant non soluere leges,
Quas decuit uoci cedere sponte Dei.

Est

Est uirtus leges, & morum uincla uereri.
Si tamen & legum regula Christus erit.

DE CANTICO ANGELORVM.

Gloria in excelsis Deo &c.

Quare ad pastores primum uox nuncia uenit,
Angelicus summa quam tulit arce chorus.
Nempè ut præcipuè pastores carminis huius,
Gentibus autores esse ducesq; uelint.
Vt summo patri ueri reddantur honores,
Et toto fiat notus in orbe Deus.
Ac latè in mundo spargantur munera Christi,
Quæ sunt placati pignora certa patris.
Et curent ut sit pacata Ecclesia Christi,
Concordiq; regant ore fideq; gregem.
Sit procul à Christi discordia sæua ministris,
Namq; Deus poterit, non nisi pace coli.
Nulla lues ouibus tantum non ulla uenena,
Quantum pastorum dißidia ipsa, nocent.
At generi humano tunc aurea uiuitur ætas,
Tunc animi capiunt gaudia uera pij.
Cum summi patris est uerè patefacta uoluntas,
Et cum nos curæ nouimus esse Deo.
Cumq; unà Christum tranquilla Ecclesia uoce
Concinit, & studio laudat ubiq; pari.

Hæc præcepta dedit cœtus paſtoribus ille,
Officij memores iußit & eſſe ſui.
Quod quicunq; facit bona uera & maxima cunctis
Affert, quæq; ætas nulla abolere poteſt.
Et quoniam angelicum mortalibus inchoat hymnum,
In terris uerè eſt Angelus ipſe Dei.

CVR NOS CVRET & ſeruet Deus.

Non Deus oſtendit ſe tantum ut corpora curet,
Sed cur ſeruari nos uelit, ille monet.
Scilicet ut ſeſe nobis communicet ipſe,
Semper & ut uiuant pectora plena Deo.
Tunc autem in nobis fulget, tunc pectora complet,
Mens pia cum diſcit munera noſſe Dei.

DEVS EST CASTA MENS.

Caſta Deus mens eſt, caſta nult mente uocari,
Et caſtas pondus iußit habere preces.
πνεῦμα ἐὼν θεὸς ἀΐδιος καθαρόν τε καὶ ἁγνόν,
τῷ ἁγνῶν δ' ἔχετ' ἰφρά μᾶνα φρενῶν.
Ἁγνείαν καὶ ἔταξε νόμοις σεμνοῖσι γάμοιο,
τιμᾶσθαι θεὸν οὗν ἐν γάμῳ εὐσεβέως.

BENEDICTIO MENSÆ.

His

His epulis domisq; tuis benedicito Christe,
Vt foueant iussu corpora fessa tuo.
Non alit in fragili panis modò corpore uitam,
Sermo tuus uitæ tempora longa facit.

GRATIARVM ACTIO
post sumptum cibum.

Postquam epulis exempta fames, mensæq; remotæ,
Dicemus grates nos tibi summe pater.
Non hæc humanas uires alimenta iuuabunt,
Diuina si non hæ foueantur ope.
Nanq; tuo uiuunt agitata à Numine cuncta,
Adflatu spirant cuncta ualentq; tuo.
Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
Atq; immortali pectora pasce cibo.
Et quia cura sumus tua nos pater optime serua,
Et studia & uitæ tempora cuncta rege.
Cumq; epulas dederis rerum pater optime nobis,
Adde epulis uires pro bonitate tua. Amen.

DISTICHON.

Vt tua pertingat, penetretq; precatio cœlum.
Corde sit ex puro, sit breuis atq; frequens.

IN DECALOGVM.

Diuino præcepta puer si prodita ab ore,
Et facies casto pectore iussa Dei.

Ipſe pater uitæ curſum moderabitur omnem,
Nec fortuna tibi ſæua nocere poteſt.

IN GENESIN.

NON *cœco caſu natura humana ſine ullo*
Conſilio, ex ueteri prodijt orta chao.
Nec deinde eſt lapidum temerè de mole renata,
Quos iecit monitus Pyrrha ſecuta uiri.
Magnum opus eſt, ad quod nos mẽs æterna creauit,
Vt noſtro ſtudio notior eſſe queat.
Ac in nos hauſtam proprio de pectore mentem
Fudit, & effigiem iußit habere ſui.
Ah cur autoris ſubeunt obliuia nobis?
Vndè homini tanti uenit origo mali?
Sed Deus ipſe ſua depellit luce tenebras,
Et quæ ſit uitæ norma ſequenda docet.
Audijt hanc cœlo delatam Eccleſia prima,
Et Deus hos fontes ſemper adire iubet.

IN HISTORIAS REGVM.

Hanc ſpeculum uitæ ducas morumq; magiſtram,
Quæ libris iſtis traditur, hiſtoriam.
Præmia iuſtorum monſtrat, pœnasq; nocentum,
Et præſens regnis numen adeſſe Dei.
Et dubiam uitæ ſortem, ac incerta pericla,
Non tantum humana calliditate regi.

Sed

Sed custode Deo casus superabimus omnes,
Placatum pietas si modò nostra facit.
Et quibus officijs possit flectiq;, coliq;,
Hic exempla liber iusta sequenda dabit.
Sit licet utilitas res gestas nosse prophanas,
Vtilior tamen est perlegere ista labor.

IN PROPHETAS.

O utinam uatum præconia dicere possem,
Accendit quorum pectora pura Deus,
Doctrinæ ut lucem renouarent, atq; docerent,
Quis summo patri sit tribuendus honor.
Hi populum in rebus dubijs rexére, leuantes
Consilio, gentis multa pericla suæ.
Venturum æterni natum cecinère parentis,
Crimina ut ablueret nostra cruore suo.
Hunc propter recipi docuerunt, uota precesq;,
Hoc duce iusserunt Numen adire patris.
Censuraq; sua frenarunt sæpè Tyrannos,
Et populi mores continuère sui.

IN DANIELEM PROPHETAM.

Δαχθείσας τορέασιν ἰδ' ὠμφοβόροις βασιλείας,
ὀρρωδ' ὦ, ἀρχὰς πήματα τοῖα ὁρῶν.
ἴαθι θεὸν δ' ὅτι γλὼ ὠμοῖς ὑπέταξε τυράννοις,
πάντα φέρων ὀργῇ ἄϊσυλα ἔργα βροτῶν.

εἰ δέ φθίνοντος κόσμου χετλιώτατον ἄχθος.
ἢ μιαρῶν τόρκων ἀινὴ ἀταθαλία.
ἄπη γῆς πλεῖον πνεμάτῳ ἀιῶνι προκόψει,
καὶ ἀτρεκὴς ἔσαι πίσις ἀμαυροτέρα.
καὶ σινθῆρα μόγις θειῶν πηρήσει ἐφετμῶν,
καὶ χθισῷ ὀλίγον τάγμα σωκηορέον.
ἥξει δ' ἀιδίου υἱὸς πατρὸς αἶψα δικάζειν,
καὶ φυγεῖς ἐχθρὸυς ἶφι κολαζέμεναι.
ταρσεῖτ' οὖν σωτῆρ ἅγιοι πολιδέγμενοι αὐτοῖ,
καὶ μὴ μαργώσαις φρεσὶ λαθέτε λόγων.

IN PSALMOS DAVIDIS.

Si qua Dei puram tangit reuerentia mentem,
Et iusto Christi nomen honore colis.
Si quo res è fonte fluunt, quod & omnia numen,
Et regit & seruat, cernere mente soles.
Hæc puer illius ueneranda oracula disce,
Iessææ quondam quæ sonuere fides.
Illius ut Mosi per rupem gloria uisa est,
Panditur hoc etiam carmine, crede puer.

ALIVD IN PSALMOS.

Saxa ferunt uatem traxisse Amphiona cantu,
Vt strueret Thebis mœnia prima suis.

Maius opus fieri Dauidis carmine constat,
Qui trahit ad summum pectora nostra Deum.
Nunc seruatoris narrat præconia Christi,
Quem canit æterno de genitore satum.
Nunc aptè gemitus, & uerba precantia tradit,
Ad summum patrem, quæ tua uota uehant.
Nunc iustas uitæ leges, pœnasq; malorum,
Et promissa canit præmia magna pijs.
Hæc igitur cythara est ad tempora quælibet apta,
In manibusq; tibi semper habenda pijs.

PSALMVS CXXVII.

Nisi Dominus ædificauerit domum. Qui docet Deum custodem esse uitæ nostræ, & gubernare totum uitæ cursum.

Quod struis, & cœlo certas educere molem,
Frustra erit, hoc condat ni Deus autor opus.
Quod uigilas, urbemq; tuo uis marte tueri,
Falleris, excubias ni Deus ipsus agat.
Et quanquam gratos somnos abruperis ante,
Quam reuehit clarum lucifer ipse diem.
Longa dies quamuis tristi consumpta labore est,
Ac operæ partem nox quoq; sera trahat.
Nil tamen assiduæ prosunt curæq; laborq;,
Si non aspirent numina summa tibi.

Seruat, alitq; pios rerum pater optimus, inde
Commoda sunt uitæ cuncta petenda tibi.
Non domus ipsa sibi, non urbs creat ipsa patronos.
Felices ciues datq;, facitq; Deus.
Impetus est qualis uolucri, rapidæq; sagittæ,
Figitur in iusso quæ procul acta loco.
Sic quocunq; rapit diuinus spiritus illos,
Virtuti cogunt cedere cuncta suæ.
Non fortuna uiros, non uirtus deserit unquam,
Nec ruitura suæ mænia sunt patriæ.

PSALMVS LXVI.

Iubilate. Qui inuitat ad fidem, & docet nos Deo curæ esse.

Huc agite ò populi, summumq; agnoscite patrem,
Illius & laudes carmine ferte pio.
Et uos qui primi redeuntem cernitis undis
Eoo solem, ducere ab orbe diem.
Et uos qui reuehi tenebras, noctemq; uidetis,
Oceano fessos Sol ubi mergit equos.
Quem colimus uerè esse Deum, rerumq; parentem,
Discite, & illius numine cuncta regi.
Non nati casu, non casu uiuimus ipsi,
Condidit & factos seruat, alitq; Deus.
Ille iter incertum uitæ, cursumq; gubernat,
Illius uerè curaq;, grexq; sumus.
Has laudes pueriq; Deo cantate, senesq;,
Hic honor, hæc summo uictima grata patri est.

Hinc

Hinc ſperare animis audete, & poſcere certum
Auxilium, triſti tempore quiſq; ſibi.
Nam bonus eſt Deus, & miſeros auditq;, iuuatq;,
Qui credunt eius ſe bonitate tegi.

EX PSALMO CXIX.

In æternum Domine permanet Verbum tuum, Præconium diuini ſermonis, ut ratus & verus ſit, quodq; credentibus & expectantibus opem diuinitus, bonaq; promiſit Deus, eueniant, impijs mala.

Sermo tuus nunquam pater occidit irritus, & non
Spem fallit mentis, deſtituìtue piæ.
Nulla poteſt unquam tua dicta abolere uetuſtas,
Sic durat uerbo condita terra tuo.
Quodq; indefeſſo curſu cœlum omne pererrat,
Et ſol formoſum fertq; refertq; diem.
Deſcripſere uices illi tua iuſſa, uiamq;
Seruat enim uerbum, cuncta regitq; tuum.
Penè ego crudeli modò eram hoſti præda futurus,
Vitaq; in æternam noctem abitura fuit.
Ni tua uox animam fugientem ſola teneret,
Quæ te adfirmat opem ferre ſolere pijs.
Hæc me tela inter fiducia texit & enſes,
Addidit & uires hæc medicina nouas.

Nulla

Nulla tui nobis uenient obliuia uerbi,
Nec meriti fiet gratia uana tui.
Et fidum miseris portum, uerbum esse canemus,
Nam sermone tuo reddita uita mihi est.
Nos tua cura sumus, rerum pater optime, teq;
Nos custode uno fidimus, atq; duce.
Cætera deficiunt nobis solatia, quare
Nos tua defendat dextera quaso pater.
Ecce tuum contra populum gens impia ferrum
Strinxit, & aduersus te gerit arma Deus.
Sed uires hominum tua uincent dicta, minasq;,
Cætera prætereunt, sed tua dicta manent.

PSALMVS CXXIIII.

Qui confidunt in Domino. Adhortatur ad fidem, quia Deus tueatur eos, qui ab ipso expectant auxilium.

Vt scopulis immota suis Sionia rupes
Hæret, & aduersos spernere tuta notos.
Sic irata pijs nunquam fortuna nocebit,
Qui fidunt superum numine posse regi.
Ecce uides Solymen quæ moles cinxerit urbem,
Et non humana mænia facta manu.
Parua inter montes latet, immani aggere septa,
Et non accessis undiq; clausa iugis.

Defen-

Defenditq; ſuo proprior nos numine, ſummus
Ignea ſi fieri mœnia datq; pater.
Ne populum feriant cœleſtia ſacra colentem,
Acta malos contra, noxia tela, uiros.
Ne te igitur capiat melior fortuna malorum,
Turpiter ut cupias deſtituiſſe Deum.
Non habet impietas ſucceſſus, credite, longos,
Et malè promeritos triſtia fata manent.
Felicesq; pij, quos tu pater optime ſeruas,
Continget portum, te duce noſtra ratis.
Ergò leua pater afflictos, uitæq; guberna,
Ambiguum curſum numine quæſo tuo.

PSALMVS IIII.

Cum clamarem, exaudiuit me Deus iuſticiæ meæ &c.

Quamuis dura feram, ſpes eſt retinenda ſalutis,
Et uidet adflictos, & iuuat ipſe Deus.
Non igitur, quia me fortuna exercet iniqua,
Dicite me Domino diſplicuiſſe meo.
Eriget hæc inter mala nos pater optimus, atq;
Aſpiciet lachrymas, accipietq; preces.
Et rerum Domino nemo ſuccenſeat unquam,
Auxilium quoniam differat ille diu.
Sed ferat, ac expectet opem, ſic mollia durat
Pectora, ſed nunquam deſerit illa Deus.
Et quanquam mora longa ſit, & ſolatia nulla,
Qualia mundus amat, cernere nulla datur.

Te promiſſa tamen recreent cœleſtia, donec
Impius hic mundus gaudia uentris habet.

PSALSMVS CX.

Dixit Dominus domino meo &c.

Dat Domino noua regna meo pater optimus, illi,
Quem mihi promiſit uenturum ab origine noſtra,
Et delere iubet cunctos qui recta monentem
Contemnent, regni primum Sionia rupes
Auſpicium uiſura noui hic ubi gentis Hebrææ
Impia poſteritas ſcelerato extinguere ferro
Hunc uolet, ipſe tamen ſuperato ex hoſte triũphum
Lætus aget, mediosq; inter dominabitur hoſtes.
Ac ut uere nouo tenebris cum fortè remotis
Mane aurora diem nobis, lucemq; reducit,
Effundit rorem campis ſitientibus æther:
Vndiq; ſic uenient ad regia ſigna cateruæ,
Vndiq; & agnoſcent Dominũ, monitusq; ſequentur.
Ille pios inter tam multa pericula uitæ
Proteget, & mortis feralia iura fugabit.
Sed non ſceptra modò geret ille, & regis honores
Nanq; ſacerdotis ſummi quoq; munus obibit,
Iratumq; patrem nobis placabit, & unus
Orabit miſeris ueniam mortalibus, atq;
Victima erit pro delictis gratiſſima noſtris.
Nec ueteri ritu pecudes mactabit ad aras,
Quem pater ad ſeros Aaron miſiſſe nepotes
Traditur,

Traditur, aut uituli consperget saxa cruore,
Aut metuende pater salsa tibi fruge litabit.
Non etenim offensi flectebat numinis iram
Talis honor, faciet noster noua sacra sacerdos,
Et uelut Abramum successu cædis ouantem,
Raptaq; de uictis spolia hostibus ampla ferentem,
Melchisedec paruis Solymis qui regna tenebat,
Excipit, & grata uictorem uoce salutat,
Atq; uiro benedicit, & omnia cæpta secunda
Esse iubet, nec erunt, inquit, nostra irrita uota,
Adprobat ista Deus, qui te seruatq;, regitq;,
Talia pro nobis faciet quoq; uota sacerdos
Noster, ut humani generis mala plurima rerum
Conditor ipse leuet, miserisq; errata remittat,
Et nunquam moritura nouæ det gaudia uitæ,
Nec uero æternum mors finiet huius honorem,
Viuet, & ipse suo fungetur munere semper,
Vt summi patris assidua prece mitiget iram.
Huic igitur regi iuuenes parete, senesq;,
Tempus enim mihi credite erit cum numinis ultor,
Contempti ipse sui pœnas, & iusta reposcet
Supplicia, & figet semper mansura trophæa,
Hostibus extinctis, nam magni dextra parentis
Hunc iuuat, & regum franget uiresq;, minasq;
Et quanquam ærumnas nostras, mortemq; subire,
Et perferre iubet pater, hunc tamen inde reducet
In uitam, fascesq; dabit, regnumq; tenere.

LIBER

PSALMVS CXI.

Confitebor Domino.

Quas laudes tibi nos pater canemus,
Quæ præconia, maximisq; factis
Dicemus? manifesta signa nobis
Monstrasti bonitatis & fauoris,
Vt curæ tibi nos sciamus esse,
Escam namq; pijs pater dedisti,
Et tradis Cananæa regna nobis,
Mansurum quoq; fœdus omne in æuum
Fecisti, rata sunt, eruntq; semper,
Quæ dicis pater atq; polliceris.
Defendes populum tuum, atq; mittes
In terras Dominum, ille liberabit,
Et nos proteget, & procul fugabit
Ærumnas, mala cuncta, reddet ille
Vitæ gaudia sempiterna nobis.
Ergo omnes Dominum Deum timete,
Nam prima est sapientia hunc timere,
Quisquis iussa Dei facit, colitq;,
Is demum sapere optime est putandus.

PSALMVS CXII.

Beatus uir qui timet Dominum &c.

Felix ille Deum metuit qui pectore toto,
Cuius delitiæ sunt bona iussa Dei.

Illius

Illius & natos, & qui naſcentur ab illis,
Cœleſti Dominus, crede, iuuabit ope.
Et quæ ſufficiant donabit commoda uitæ,
Iuſticia eſt huius uindice tuta Deo.
Gratáq; in aduerſis cernet ſolatia rebus,
Adficitur noſtris nam Deus ipſe malis.
Vir bonus æra ſolet facilis dare mutua egentí,
Et mens illius neſcia fraudis erit.
Non poterit talem fortuna euertere iniqua,
Eſt memor illius ſemper, eritq; Deus.
Fortunæq; minas ille imperterritus audit,
Solius fidit nam bonitate Dei.
Et quoniam curæ eſſe Deo ſe credidit, ipſo
Inſpectante malis, pœna luenda uenit.
Ille ſuas quia ſpargit opes, & donat egenis,
Præmia iuſticiæ non moritura feret.
Et quamuis ſecura diu ſint otia prauis,
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

PSALMVS CXXXIII.

Ecce quam bonũ & quam iucundũ 2c.

Exiguis addit uires concordia rebus,
Et malè quaſſatas fulcit, & auget opes.
Vtq; ſenis celſo manantia uertice Aronis,
Confectos artus balſama larga rigant.
Siue ſatis ut uita redit, dum Sirius agros
Torret, ſi gelido rore madeſcat humus.

Sic ubi ſunt æquo ſociatæ fœdere mentes,
Fidaq́; communis pectora iunxit amor.
Virtutem Deus aſpirat, placidoq́; fauore
Prouehit, & uitæ cuncta pericla regit.

PSALMVS LXXXI.

Deus ſtetit in Synagoga &c.

Stat Deus in media turba, cœtuq́; Deorum,
Terribiliq́; alios increpat ore Deos.
Nunquis erit tandem ſcelerum modus? omnia iura
Oppreſſa à uobis uiq́; doloq́; iacent.
Nil in iudicijs inopis ualet optima cauſa,
Gratia ſed tantum diuitis illa regit.
Quin uos efficite, ut probitas innoxia ſemper
Præſidio ueſtro tuta manere queat.
Nec circumſcribi pupillos fraude ſinatis,
Iniuſti metuant triſtia iura fori.
Sed nihil hic monitis regum fera corda mouentur,
Nec cœcæ mentes numina ſumma timent.
Nulla uoluptates moderantur uincula legum,
Miſcent arbitrio fanda, nefanda ſuo.
Sed meritas olim dabit iſta licentia pœnas,
Conuenietq́; actis exitus ipſe ſuis.
Ecce ego deijciam celſa de ſede tyrannos,
Cum manibus terras ipſe mouebo meis.
Vos equidem eſſe Deos iußi Gnatosq́; uocaui,
Voce mea uobis regna tenere dedi.

Sed

Sed repetam titulos, & regni iratus honores,
Et dabitis pœnas uos aliquando mihi.
Vtq; alij exuti regnis cecidere Tyranni,
Qui ueluti plebis pars sine honore iacent.
Sic postquam tituli uobis ego dempsero honorem.
Lapsaq; cum fuerint sceptra superba manu.
Vos ignota eritis, contemptaq; funera, sicut
Obscura uulgus morte perire solet.
At tu summe Deus surgas, terramq; gubernes,
Absq; tuo Regnum Numine stare nequit.
Omnes te gentes Dominum metuantq; colantq;,
Omnia sunt etenim sub ditione tua.

PSALMVS LXXXIIII.

Quam dilecta Tabernacula &c.

Præcipit ut amemus, & summa cura ornare studeamus Ecclesiam Christi, hoc est, & uerbum Dei, & ipsum publicum ministeriū, & iubet huius ministerij causa fortiter perferre ærumnas, & pollicetur Ecclesiæ in periculis auxilium Dei.

Nulla domus, non ulla mihi iucundior urbs est,
Quamuis ingentes accumularit opes.
Quam templi sunt tecta tui, pater optime rerum,
In quo doctrinæ uox sonat ipsa tuæ.
Hanc arcem toto uenerabor pectore semper,
Qua non est animo charior ulla meo.

Ipſe tuas aras feſtis ornabo coronis,
Atq; illas iuſto ſemper honore colam.
Vtq; ſuis timidæ nidis gaudere uolucres,
Quos ſibi quæq; ſua condidit arte, ſolent.
In quibus et poſſunt hoſtes contemnere tutæ,
Et pullos dulci mater amore fouet:
Sic nobis Templum, nidus gratißimus eſſe,
Et certum debet perfugium eſſe pijs.
Felix hac ſemper quicunq; habitabit in arce
Audiat ut laudes, & canat ipſe Dei.
Vera pijs patria eſt Eccleſia ſola putanda,
Quæ patriæ debes officia, iſta petit.
Non uis ulla animos unquam diuellat ab ipſa,
Æterno iunctam fœdere ſemper ama.
Hanc omnes ſtudio ſociato ornentq; iuuentq;,
Hic honor, hæc pietas, credite, grata Deo eſt.
Ac ueluti uolucrum nidos induſtria munit,
Sic noſtra cura eſt iſta tuenda domus.
Crudelis quicunq; ipſam lacerare parabit,
Impiaq; aduerſus cœperit arma Deum.
Sed patriam hãc quiſquis melior defendere certet,
Et rectam non uult deſtituiſſe uiam.
Ærumnas feret ille graues, atq; aſpera multa,
His non ſuccumbet ſed tamen ipſe malis.
Ac riuos latè deducet fonte perenni,
Extingui nunquam dogmata uera queunt.
Doctores Deus ipſe regens cœleſtibus auget
Dotibus, & ſtudium prouehit atq; iuuat.

Multa=

Multaq; deleto victores hoste trophea
Ponent, ut fiat gloria nota Dei.
Exaudi gemitus nostros, pater optime rerum,
Aspicias templi quæso pericla tui.
Conserua regni formamq;, statumq; decorum,
Præfice concordes ipse piosq; Duces.
Has ego delitias ardentibus expeto uotis,
In templo semper degere posse Dei.
Et quamuis ibi erunt mihi multa adeunda pericla,
Nanq; odijs urget mundus ubiq; pios.
Attamen anteferam regnis, opibusq; malorum,
Huius militiæ signa, decusq; piæ.
Namq; sua dextra Deus istam protegit arcem,
Et ciues nunquam deserit ille suos.
Fœlix qui uoci cœlesti obtemperat uni,
Nec patitur frangi pectora firma minis.

PSALMVS CXXII.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Gratiarum actio de cõstitutione Ecclesiæ, & precatio de conseruatione &c.

Summe Deus nobis patefacte in rupe Sinai,
Nostra tibi grates pectora & ora sonant.
Quod sancis, Solymis ut templi immota sit omni
Tempore dehinc sedes, quod tua dicta sonent.
Curia stat nobis sapiente ornata senatu,
Voce tua patriam consilioq; regens.

Pectora cunctorum dulcis concordia iungit,
Et studio ædificant mænia nostra pari.
Isaciasq; tribus cunctas huc ire necesse est,
Cædenda est alio uictima nulla loco.
Hic uox doctrinæ spargatur ut unica puræ,
Quam nobis cœlo tradidit ipse Deus.
Ipsius ut bonitas in toto luceat orbe,
Notaq; sint Gnati munera magna sui.
Restituit nobis uitam, qui labe remota,
Iustifica saluos & facit esse fide.
Hic fons doctrinæ sit lympidus inde fluentis,
Non ficto Deus ut possit honore coli.
Posteritas in qua Dauidis regna tenebit,
Hic semper sedes non peritura manet.
Diligite hanc Solymen, & grato reddite corde,
Debita huic omnes munera, uota, preces.
Qui fouet officijs hanc iustis, atq; tuetur,
Proteget hunc semper dextera magna Dei.
Sit tibi pax, & uera salus, Ecclesia, semper
Quæ discis studio dogmata sancta pio.
Fausta meos propter fratres, propterquè propin-
Opto tibi, & Templi ne labefiat honos. (quos

DE LECTIONE PSALmorum Dauidis.

Membra rudi è terra primorum quando parentum,
Arcana finxit maximus arte pater.

Adsta-

Adflauitq; hauſtas proprio de pectore mentes,
Nos ad mirandum condidit autor opus.
Notitiam ipſius latè ut ſpargamus in orbem,
Vt laudent nomen terra polusq; Dei.
Alter honos tamen ad doctrinam accedere debet,
Aßidua ut quæras uoce parentis opem.
Vtq; Deo ſemper tales reddamus honores,
Æternam uitam filius ipſe dedit.
Hæc tibi Dauidis proponunt carmina uatis,
Vt laudes tribuas & pia uota Deo.

Aliud de Pſalmis.

Eſſe Deum æternam mentem, quæ cuncta creauit,
Mundi totius machina pulchra docet.
Plus tamen eſt ſic noſſe Deum, quod uota piorum
Placatus gemitus audiat, atq; preces.
Id tibi promittunt hæc cœlo oracula miſſa,
Ieſſæi uatis quæ ſonuere fides.
Hinc igitur mæſtis ſolatia firma petantur,
Hunc quærat portum mens tremefacta ſibi.
Amphion cantu ſcopulos traxiſſe putatur,
Et potuiſſe Orpheus flectere uoce feras.
Attamen hos longè Dauidis carmina uincunt,
Quæ mentem è media ducere morte ſolent.

DE VENIS METALLICIS
Gratiarum actio & precatio Philippi.

Non casu uolucres Atomi sine fine ruentes,
Hanc Mundi formam progenuere nouam.
Formatrix sed mens sapiens ac optima mundi est,
Omnia quæ mira condidit arte Deus.
Consilioq; sagax uarios distinxit ad usus,
Et prodesse homini cætera cuncta iubet.
Et clara impressit multis uestigia rebus,
Agnosci sapiens conditor unde queat.
Hæc bonitas celebrãda tua est, Deus optime, semper
Fac gratæ mentes ut tua facta canant.
Quare etiam grates pro tanto hoc munere dico,
Quod certum est artis tantum opus esse tuæ.
Intima quod uenas sparsisti in uiscera terræ,
Vsibus ut nostris apta metalla ferant.
Lactea ubi fumis hydrargyra mixta coquuntur,
Sulphureis fibræ semina prima nouæ.
Dantq; alias formas cœlestia lumina massis,
Et uagus in terris hoc iuuat ignis opus.
Sed satis effari queat hæc miracula nemo,
Hoc certum est nasci cuncta fouente Deo.
Vis etiam nostro quæri hæc tua dona labore,
Legitimos usus & tua dicta docent.
Mandasti quondam fieret tibi ut aurea sedes,
Intra adytum templi conditor almè tui.
Iussisti binis argenti pendere drachmas,
Vt seruaretur relligionis honor.
Et iustum esse doces, par compensatio cum sit,
Sic uis pro sumpta merce Nomisma dari.

Cumq;

Cumq; probes operas fossorum, Ecclesia sæpè
His collecta locis fida, placensq; tibi est.
Strymonia docuit nam Paulus in urbe Philippis,
Hic ubi tunc auri uena opulenta fuit.
Diuitiasq; loci celebrauit longa uetustas,
Vrbs ibi nam Datus non minor ante fuit.
Se cœpit Pauli doctrina ditior esse,
Qui populi mores prædicat atq; fidem.
Exul ubi uiduæ pietate exceptus Elias,
Sidonia quondam non procul urbe fuit.
Hic à conflatis antiqua Sarepta metallis,
Artem & opes monstrat nomine clara suo.
Multa bonæ mentes exempla hinc sumere possunt,
Quæ formant mores, quos probat ipse Deus.
Esse Deum uerum, patefactum in rupe Sinai
Norint, qui Mundum condidit atq; regit.
Quiq; redemptorem misit de uirgine natum,
Qui uiua æterni patris imago sui est.
Vocem Euangelij qui dura in pectora spargit,
Fœcundat montes semine ut ipse dato.
Addit & huic uitam cœlesti lumine uoci,
Adflatu mentes urit & ipse suo.
Fossores tamen esse iubet, sua dicta doceri,
Et studio disci præcipit ipse pio.
Disce Sareptanæ uiduæ pia facta, fidemq;
Hec aliqua ut referas parte, precare Deum.
Ac simul effundi diuinam in pectora lucem,
inq; sinus terræ semina larga, petas.

Gnate

Gnate Dei effigies æterni uiua parentis,
Hos populos ſerues, te precor, atq; regas.
Ac Euangelio ſemper tibi collige cœtum,
Concedas ſtudijs hoſpitiumq; pijs.
Hæc animo uolui, iuga per Ioachimica uectus,
Perq; Annæ montes qui modò nomen habent.

DE SICLO.

Iuſta ſacerdotum deſignat munera Siclus,
Cuius in Ebræis urbibus uſus erat.
In quo floreſcens inſculpta eſt uirga Aharonis,
Quæ monet, ut doceant dogmata pura Dei.
Parte calix alia eſt impletus thure Sabæo,
Hic offerre preces, ut noua thura, iubet.
Attamen ante alios ſummus facit iſta ſacerdos,
Filius æterno de genitore ſatus,
Ipſe ſinu profert nobis decreta parentis,
Reſtitui uitam quo uelit ille modo.
Hic Pharonæi cœtus hic eſt florida uirga,
Ac Euangelij ſemina prima ferens.
Hic & conſilio mirando uictima factus,
Iuſticiæ ſoluit debita λύτρα patris.
Cumq; cruor toto manaret corpore ſupplex
Vulnera pro nobis obtulit atq; preces.
Et ſibi perpetuum doctrina colligit agmen,
Viuificans uerbo pectora noſtra ſuo.
Quanquam autem ad dextram cœleſti in ſede pa-
Ipſe dat hæc ſemper maxima dona pijs. (rentis,

Docto-

Doctores tamen adiungit, sociosq; laborum,
Organa quos uocis præcipit esse suæ.
Cura sit his fontes doctrinæ nosse salubres,
Fundere & in populo flumina pura Dei.
Cumq; Sacerdotis Christi coniungere uotis,
Assiduos gemitus, cura sit, atq; preces.
Gnate Dei nobis iram placato parentis,
Et tua discentes dogmata Christe tegas.
Tuq; λόγος uiuens nostris in mentibus adsis,
Et flatu accendas pectora nostra tuo.

PRECATIO NVMERORVM VI.

Optime Christe tuæ quæso benedicito turbæ,
Ac inter uitæ sæua pericla tege.
Te dabis ut cernat uerè esse patremq; Deumq;,
Certa uenit nobis, si miserere, salus.
Placatumq; animum, uultusq; ostende paternos,
Prosperaq; eueniant cuncta fauore tuo.

ALIA, in qua appellatio Siloh, quam Iacob Christo tribuit Gen. 49, expressa est.

Gnate Dei effigies æterni uiua parentis,
Æterna uerbum mente satumq; patris.
Indutus nostra qui carne in uirginis aluo,
Humanum accedis, maxime Christe, genus.

Te

Te pius Isacides compellat nomine Siloh,
Quod teneræ es fœtus uirginis ipse tener.
Ac uelut inuoluens fœtum membrana recentem,
Dum rude sub matris pectore turget onus.
Mollis & ad motus non est durabilis ullos,
Pendet & in Cotylis squalida tota nouis.
Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe,
In cruce pro nobis cum lacerata fuit.
Indueras etenim mirando fœdere carnem,
Huic nostræ similem, supplicijq; ream.
Sed prorsus fragilis nos ipsi, & sordida pellis
Materna chorion labe reumq; sumus.
Attamen hoc uiuet chorion, quandò induis ipse,
Voce tua sanans atq; cruore lauans.
Sic autem nobis diuina hæc munera dantur,
Cum discunt uocem pectora nostra Dei.
Ac cœtus ideo discentum Christe tueris,
Vt chorion uerè sit Schola casta tuum.
Ah tua tuta precor seruetur fascia Siloh,
Ne queat hanc ullus dilacerare furor.

ALIA ex 2. Paral. 20. expressa uersibus à Ioach. Cam.

In tenebris nostræ, & densa caligine mentis,
Cum nihil est toto pectore consilij.
Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis,
Nostra tuamq; fides solius orat opem.

Tu

PRIMVS.

Tu rege consilijs actus pater optime nostros,
Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.

ALIA precatio Philip: Melanth.

Te maneat semper seruante Ecclesia Christe,
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.
Tres uelut in flamma testes Babylonide seruas,
Rex ubi præsentem te uidet esse Deum.

ALIA sumpta ex dicto Genes. 1. Spiritus Dei fouebat aquas.

Spiritus ut Domini nascentia corpora fouit,
Cum manus artificis conderet ipsa Dei.
Sic foueat cœtus, qui Christi oracula discunt,
Accendatq; igni pectora nostra suo.

ALIA, desumpta est capite 16 Lucæ.

Æger & ulceribus squalens in corpore toto,
Hic iaceo, & pereunt tabida membra fame.
Diuitis ante fores iacuit ceu Lazarus olim,
Cui fastidito nemo ferebat opem.
Vt tamen à cunctis spretus, tua curo, tuoq;
Exceptus gremio Lazarus ille fuit.

Sic,

Sic, æterne Deus, tua me clementia ſeruet,
Et miſerum dextræ protegat umbra tuæ.

ALIA.

Nil ſum, nulla miſer noui ſolatia, maſſam
Humanam niſi quod tu quoq; Chriſte geris.
Tu me ſuſtenta fragilem, tu Chriſte guberna,
Fac ut ſim maſſæ ſurculus ipſe tuæ.
Hoc mirum fœdus ſemper mens cogitet, uno
Hoc eſt, ne dubita, fœdere parta Salus.

ALIA, DE MATRE Cananæa. Matth. 15.

Quantus erat dolor in Cananæa matre puellæ,
Cuius mens furijs exagitata fuit.
In tanto nunc eſt Eccleſia mœſta dolore,
Doctorum furias cum uidet atq; Ducum.
Sed tu gnate Dei gemitus audito precantum,
Nulla uenit nobis te niſi dante ſalus.
Tu procul à nobis ſæuos depelle furores,
Et ſanes uerbo pectora noſtra tuo.
Quamuis ira tui nos urget iuſta parentis,
Et ſumus ut turpes nos rea turba canes.
Attamen ut timidè ſub menſa captat herili,
Eſuriens modicas parua catella dapes.
Sic cum dira fames noſtros abſumpſerit artus,
De menſa petimus pabula Chriſte tua.
Gnate Dei generis noſtri cum ſumpſeris artus,
Nos gerat infirmos hæc tua maſſa precor.

PRIMVS.

IN CAPITE XVII. IOHANnis, Verba Filij Dei ad æternum Patrem sunt hæc in agone dicta.

Sit dilectio tua in eis, qua me diligis, & ego in eis. Carmine reddita ā Phil. Melanth.

Nec tu Gnate Dei maius meliusue rogare
Æternum poteras, optime Christe, patrem.
Quam quali σοργῇ semper te diligit ipse,
Diligat & simili nos ut amore pater.
Nec tribui nobis hoc possit munere maius,
Quid nati posset maius amore dari?
Non apud æternum facis irrita uota parentem,
Adfirmat iurans hoc pater ipse tibi.
Erga nos etiam es patrij tu pignus amoris,
Iussus pro nobis debita λύτρα dare.
Nos igitur quanquam sumus ægra et sordida massa,
Credimus ista tamen munera summa dari.
Confisiq; tua prece Christe pericula nostra,
A summo petimus cuncta parente regi.
Tuq; tuo serues infirmos Numine, qui uis
In nostris uiuens mentibus esse λόγος.

ALIA PRECATIO.

De initio noui Anni.

Ipſe Deus ſapiens uerbo qui cuncta creauit,
Et certis annum legibus ire iubet.
Efficiat, nobis ueniens ſit fauſtus ut annus,
Et clemens dextra nos tegat ipſe ſua.
Et quoniam Gnatum miſit, qui colligat agmen,
Cuius ſit Doctor, Vita, Caputq;, λόγος.
Hic λόγος æterno natus patre, ſemper adeſſe,
Et cuſtos nobis & caput eſſe uelit.
Viribus humanis non eſt Eccleſia tuta,
Regum præſidijs orphana mœſta caret.
Sed noſtram indueris cum miro fœdere maſſam,
Gnate Dei ſemper nos tua membra regas..
Et facias, tecum nos unum ut ſimus in æuum,
Vera laude tuus quò celebretur honos.

ALIA.

Flecte precor nobis iratum Chriſte parentem,
Qui uis pro nobis ſupplicis eſſe loco.
Et quam ſparſiſti prolatam ex mente parentis,
Deleri uocem ne patiare tuam.
Doctrinæq; tuæ ſtudium, paruamq; Sareptam,
Doctrinæ hoſpitium protege quæſo tuæ.
Et placidam clemens nobis concedito pacem,
Tuq; ducum mentes, tu populûmq; regas.

GRATIARVM ACTIO pro beneficio nati & exhibiti Chriſti,

Omni-

Omnipotens, æterne Deus, qui cuncta creasti,
Nostra tibi grates pectora & ora sonant.
Quòd genus humanũ non dira in morte relinquis,
Effigiemq; tuam nec perijsse sinis.
Sed gnatum donas, qui nostros induit artus,
τὸν λόγον ἀϊδίϊ πατρὸς ὑϕιστάμενον.
Hic est promissus patribus cognomine Siloh,
Isacide gnatos ut moriture doces.
Namq; erat hic χοιῳ similis, tenera atq; cruenta
Fascia, pro nobis uictima quandò fuit.
Cumq; sit Emanuel non tantum crimina tollit,
Gaudia sed reddit non moritura pijs.
Semper adest nobis, semper sibi colligit agmen,
Æterni λόγος hic, uiua & imago patris.
O res mirandas, mirando fœdere iuncta est,
Humani generis languida massa Deo.
Credimus hæc tibi Gnate Dei, sic crederè uoci
Prolatæ ex patrio præcipis ipse sinu.
Sed tamen hæc fidei modica est scintillula, fiat
Auxilio petimus fortior illa tuo.
Ac ueluti lucis radios Sol spargit in orbem,
Tu Sol iusticiæ nos rege luce tua.
Et non extingui patiare in pectore nostro,
Notitiamq; tui, notitiamq; patris.
Hospitiumq; tuæ doctrinæ protege Christe,
Emanuelq; tuo semper adesto gregi.

LIBER

PRECATIO.

Quod λόγος æterni demissus ab arce parentis,
Factus & humana uictima carne fuit.
Hæc est diuina sapientia tradita uoce,
Quam uerax testis comprobat ipse Deus.
Tanta Dei bonitas, & tanta hæc fœdera cerni
Non possunt, doceas Tu nisi corda Deus.
Vis autem agnosci λόγον, ac ut nuncius iret
Misisti, nobis pignus & esse iubes.
Te pater ipse simul uis & tua munera sumi
Te tribuas nobis & tua dona, fide.
Ergo Gnate Dei nobis da Christe precamur.
Noticiam Patris, noticiamq; tui.
Eq; tuo flammas in pectora spargito nostra,
Vt celebrent uero semper honore Deum.
Et tua sit concors, crescatq; Ecclesia, & una
Voce tuas laudes, & tua dona canat.

EX LVCA
24 Capite.

Vespera iam uenit nobiscum Christe maneto,
Extingui lucem nec patiare tuam.

QVERELA ANIMARVM
piarum ad Deum de Tyrannis, qui interficiunt pios propter Euangelij confessionem.

O pa-

O pater alme Deus, terræq; poliq; creator,
Ista manum cuius machina uasta tremit.
Omnia qui cernis, ueriq; es amator, & æqui,
Fallere quem non est ullius arte doli.
Vnicus innocuis, si iustus es arbiter, umbris,
Solus & insontis sanguinis ultor ades.
Si tua pacifici cruor intemeratus Abeli,
Voce fatigauit sidera clara poli.
Ecquid adhuc iustam lentus non surgis in iram?
Et potes hæc contra te fera tela pati?
Ecce rebellantes audacter ut omne Tyranni
Iusq; tuo Christo, fasq; piumq; negant,
Respicis insontes animas, tristemq; cruorem,
Illis pro uerbo quem damus ecce tuo.
Respicis, & patulis gemitus hos auribus hauris,
Quos tibi semineces reddimus ore pio.
Vtq; truces rarò tristi sine cæde Tyranni,
Et sicca ad stygias morte feruntur aquas.
Sic quoq; nunc meritas pendent cũ sanguine pœnas,
Quos iuuat iniusta tingere cæde manus.

PRECATIO.

πλὴν θυελλὴν ἀγαθὴν ἡ ἄφορμὰς εὐτυχίαν τε,
συμβόλαια ἐμοὶ δ' ὁς πατρὸς ἀϊδίου.

IN SECVNDAM AEDI-
tionem Locorum Com:
Ad Christum.

ὃυ θυσίαις ὁ θέος μᾶλλομ᾽ ἢ τέρπε᾽ ἄλλαις,
ἢ διδαχῆς μελέτη εἰλικρινὲς πε λόγε.
τὸνς δ᾽ ὀυρχισὲ ἄναξ καρδίη δέχε ἵλεω ὕμνες,
ἡμέτερας δ᾽ ἁγίῳ πνεύματι ἄρδε φρένας.

DISTICHON DE EXILIO Christi.

Exul erat Christus, comites nos exulis huius
Esse decet, cuius nos quoq; cura sumus.

Subditus esto Deo & ora eum.

Subditus esto Deo, mandato munere fungens,
Et spera in miseris, & pete rebus opem.

Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius uolet reuelare, Matth. 11.

Nemo Patrem nouit nisi Filius, & quibus, huius
Semina notitiæ Filius ipse dedit.

ITEM.

Vult adsertores laudum nos esse suarum,
Idq; magis poscit quam noua thura DEVS.

ITEM.

Non

Non labor in Domino uester inanis erit.
ὑμῶν ἐν κυρίῳ ὁυ κοπὸς ἐστὶ κένος.

IMAGO SOMNII.

Aiacem uidi ſtantem, iuuenilia membra,
Qui fului indutus pelle leonis erat.
Fraxineamq; haſtam cùm fortis dextra teneret,
Leuum ipſi clypei texerat umbo latus.
In quo magna boum dicuntur tergora ſeptem,
Artificis docta iuncta fuiſſe manu.
Sed ſupra caput Aiacis mons eminet altus,
Floribus & læto gramine ubiq; uirens.
Cuius in excelſo uictor ſtat uertice Chriſtus,
Vnicus æterno de genitore ſatus.
Signa gerens reducem ſuperata morte triumphi
Qualia tunc comitum ferre caterua uidet.
Huius ſub pedibus, medioq; in monte trophæum
Angelica crux eſt aurea fixa manu.
Multa quidem, pauidæ ſimulachra fugacia mentes,
Quæ cœca uolitant irrita, nocte uident.
Sed tamen hæc ſi non luſit fallacibus umbris,
Talia ſollicitis forſan imago monet.
Irati quamuis mouerunt triſtia bella,
In ſua graſſantur uiſcera iamq; Duces.
Et iam ciuili patria eſt polluta cruore,
Iuſtaq; nos ſontes opprimit ira Dei.

Vt tamen in medijs laceratus naufragus undis,
Qui ſuperest tabulas colligit ipſe ſibi.
Sic aliquem eripiet cœtum de fluctibus iſtis,
Æterno Chriſtus de genitore ſatus.
Eſtq; inter dubios manſura Eccleſia motus,
Vt uictor Chriſtus montis in arce ſtetit.
Flecte precor nobis iratum Chriſte parentem,
Qui uis pro nobis ſupplicis eſſe loco.
Et quam ſparſiſti prolatam è mente parentis
Deleri uocem ne patiare tuam.
Doctrinæq; tuæ ſtudium, paruamq; Sareptam,
Doctrinæ hoſpitium protege quæſo tuæ.
Et placidam clemens nobis concedito pacem,
Tuq; ducum mentes, tu populiq; regas.
Nemo meis manibus cœtum mea dicta colentem,
Sic inquit tua uox, eripuiſſe poteſt.
Hæc promittit opem nobis, & pectora, ut à te
Auſint auxilium poſcere, noſtra mouet.
Vt ſerues igitur, uotis te ardentibus oro,
Agmina, quæ legis ſunt ſtudioſa tuæ.
Semper ut agnitio mortales luceat inter,
Manſura æterno tempore, uera tui.

DE DICTO NON POteſt ſibi Homo ſumere quicquam niſi datum ſit ei à Deo.

Nullius

Nullius est felix conatus & utilis unquam,
Consilium si non detq; iuuetq; Deus.
Tunc iuuat ille autem cum mens sibi conscia recti,
Mandati officij munera iusta facit.
Et simul auxilium præsenti à numine Christi
Poscit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus faustum populisq; tibiq;,
Diriget & cursus aura secunda tuos.
Inuictamq; Dei dextram uis nulla repellet,
Omnia cogentur cedere prona Deo.
Ipsa etiam, quamuis Adamanti incisa feruntur,
Cum petimus, cedunt Fata seuera DEO.
Nec Deus est Numen Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur Stoicus esse Deus.
Ipse potest solis currus inhibere uolantes,
Ipse uelut scopulos flumina stare iubet.

CARMEN QVO SOLENT Pueruli ad studium literarum in Scholam reuocari, die Gregorij, circa æquinoctium uernum.

Vos ad se pueri primis inuitat ab annis,
Atq; sua Christus uoce uenire iubet.
Præmiaq; ostendit uobis uenientibus ampla,
Sic uos ò pueri curat, amatq; Deus.
Vos igitur læti properate occurrere Christo,
Prima sit hæc Christum noscere cura ducem.

Sed tamen ut Dominum poßis agnoſcere Chriſtum,
Ingenuas artes diſcito parue puer.
Hoc illi gratum officium eſt, hoc gaudet honore,
Infantum fieri notior ore cupit.
Quare nobiſcum ſtudium ad commune uenite,
Ad Chriſtum monſtrat nam Schola noſtra uiam.

DE ANGELIS
Sapphicon.

Dicimus grates tibi ſumme rerum
Conditor, Gnato tuo quòd miniſtros
Flammeos finxit manus, angelorum
Agmina pura.
Qui tuæ lucis radijs uibrantes,
Te uident lætis oculis, tuasq̃;
Hauriunt uoces, ſapientiæq;
Fonte fruuntur.
Hos nec ignauum ſinis eſſe uulgus,
Nec per ingentes uolitare fruſtra
Ætheris tractus, temerè nec inter
Ludere uentos.
Sed iubes Chriſto comites adeſſe,
Et pios cœtus hominum tueri,
Qui tuas leges uenerantur, atq;
Diſcere curant.
Impijs ardens odijs, & ira
Nam tuis caſtris Draco ſemper infert

Bella, qui primus scelus atq; mortem
Intulit orbi.
Hic domos, urbes, tua templa, gentes,
Et tuæ legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.
Interim sed nos tegit Angelorum,
Quæ ducem Christum sequitur caterua,
Atq; grassantis reprimit cruenta
Arma Draconis.
Angeli Lothon Sodomæ tuentur,
Inter infestos Elisæus hostes,
Angelis cinctus, nihil extimescit
Bellica signa.
Tutus est inter medios Leones
Angelis septus Daniel propheta,
Sic tegit semper Deus his ministris
Omnia nostra.
Hoc tuum munus celebramus unà,
Et tibi noster chorus, Angeliq;,
Gratias dicunt simul accinentes
Conditor alme.
Et tuo templo uigiles ut addas
Angelos semper, populoq; Gnati
Qui tui uerbum colit, obsecramus
Pectore toto.

AMEN.

LIBER

DE S. IOHANNE Baptiſta, Iambicum Dimetrum.

Æterno gratias patri
Omnes canant Eccleſiæ
Quòd nuncium uerbi ſui
Iohannem nobis miſerit.
Hic mores exui malos
Iußit, metuq́; Iudicis
Mox adfuturi terruit
Superbas mentes omnium
Rurſusq́; perculſos metu
In ſpem uitæ certam uocat
Et monſtrat agnum digito
Qui placat unicus Deum.
Hæc illo firmo pectore
Docet, Chriſtumq́; prædicat
Venire, ceu ſolem nouum
Prodire aurora nunciat.
Nec Phariſæi ſpiritum
Fregerunt ingentem uiri,
Helias alter hic fuit
Hypocritas tum arguit.
Te ſumme rogamus pater,
Vt corda noſtra ſuſcites,
Vt uerè poßint credere
Iohannis teſtimonio.

PRIMVS.

ALIVD DE MARIA
Dei genetrice uisitante Elisabeth.

Æterne gratias tibi
Dicamus omnes conditor,
Quod inter hostes plurimos
Ecclesiam seruas tamen.
Vt inter arma gentium
Herodis & satellites,
Interq; tetros dogmatum
Furores, & deliria.
Seruas Mariam uirginem,
Domumq; castæ Elisabeth,
Quæ prædicant munus tuum.
Datumq; Christum nunciant.
Non Pontifex, non Principes,
Etsi sciunt oracula
Vatum uenisse nouerant
Salutis autorem nouæ.
Sed dulcis hæc Elisabeth
Et uirginis congressio
Arcana promit cæteris
Verè Deum colentibus.
Aluoq; fœtus conditus
Longoq; sacerdotum agmini
Agnoscit ignotum ducem,
Adorat & gestu suo.

D

Hæc

Hæc prima ſynodus fuit,
Teſtata de Chriſto Duce,
Poſtquam ſtatuto tempore
Verbum Patris factum eſt Caro.
Accenſa teſtimonijs
In corde noſtro talibus
Colat fides & inuocet
Chriſtum Mariæ filium.
Opemq; ſpe firma petat,
Miſſumq; credat à patre,
Vt inuocantes adiuuet
Malisq; cunctis liberet.

AMEN.

DE CONIVGIO.

Epheſios 5. Myſterium hoc magnum eſt &c.

Pectus ut in ſponſo flammarum incendia ſentit,
Qui uero ſponſæ flagrat amore ſuæ.
Naturæ ſociam uero ſic diligit igne,
Filius æterno de Genitore ſatus.
Induit humano quam fœdere, quò ſibi noſtrum,
Fraterno pariter iunxit amore genus.
Iura thori Deus exemplum cum fœderis huius
Eſſe uelit, caſtè præcipit ipſa coli.

PRIMVS.

DE ΣΤΟΡΓΗ.

Coniugis in labris quoties dulciſſima figes
Baſia, purpureis filioliq; genis.
Iſtius ipſe Deus transfudit ſemina amoris,
Non temerè in ſenſus caſtaq; corda patrum.

IN PAVLVM.

Non ſic Dædaleus Chriſtum pinxiſſet Apelles,
Vt ſacer hunc Paulus exprimit ore pio.

Item Græcè.

Οὐ δ'εκὲ δ'αυ δ'άλεος ἀ̓ρ χθισὸ̓ν χ̓ράψαι ἀπελλῆς,
ἔνθεος ὡς παῦ λος τῷ̓δ' ἐχάραξε λόγῳ.

IN EPISTOLAM PAVLI ad Romanos.

Doctrinam ex Pauli ſumas ſcaturigine lector,
Sed liber ad fontes hic tibi monſtrat iter.
Sic λό̓γος æternus miſit Pater, ut ſua dicta
Nobis ambiguos non uelit eſſe ſonos.
Ergò uelim propriè cœleſtia dicta referre,
Nec cœnum inſperſum fontibus eſſe uelim.
At mentes hominum caligo abducit, ut extra
Rectam diſcedant lapſæ aliquando uiam.
Sed tamen errantes reuocat cenſura piorum,
Et monitis paret mens pietatis amans.
Iudicijs igitur lectorum poſco moneri,
Cenſuræ candor ſi modò iunctus erit.

In

In Christo semper nos una Ecclesia simus,
Vna fides iungat pectora, & unus amor.
Vult Deus esse unum sibi nos, iunctosq; tuetur,
Distractis rabies mutua utrimq; nocet.
Iunxisti ut massam tibi nostrã Christe Redemptor,
Æterno sic nos fœdere iunge tibi.

IN DISPOSITIONEM Epistolæ ad Romanos, ad D. Iustum Ionam.

Visa obscura prius multis oratio Pauli est,
Omnis ubi series, unus aceruus erat,
Singula sed postquam sunt ordine membra retexta,
Dispositæ clarum res modò lumen habent.
Commendatus erit tibi Iona disertè libellus,
Est breue, sed magni grande laboris opus.

IN CARMEN EBERARDI Lothmanni.

Lex diuina tibi uitæ sit regula semper,
Sitq; tibi potior quàm tua uita, DEVS.
Eripiantq; tibi uitam prius arma Tyranni,
Quam sanctam legem, Iusticiæq; decus.
Non hic ex cæcis Atomis uenit ordo perennis,
Sed monet esse Deum, Iudiciumq; Dei.
Est Deus humano spargens in pectore lucem,
Notitiam iusti, notitiamq; mali.

Idem

Idem etiam uindex cunctorum iudicat acta,
Obruit & pœnis ipsius ira malos.
Hæc etiam ostendit Caracallæ pœna Tyranni,
Carmine quam recitas docte Eberharde tuo.

IN IMAGINEM Christophori.

Ista piæ mentis formam tibi monstrat imago,
Quæ Christum uera cum pietate colit.
Nam uelut in medijs incedit fluctibus Heros,
Qui nõ magnum humero, sed graue gestat onus.
Sic & multa pios discrimina oportet adire,
Qui uerbum portant maxime Christe tuum.
Omnia destituunt iustos solatia, nemo
Auxilium tristi tempore ferre solet.
Tu quoq; deseruisse tuos ò Christe uideris,
Sunt etiam qui te posse iuuare negant.
Hoc est cur pueri sis pictus imagine, namq;
Conuenit infirmis ista figura magis.
Tu quoq; lapsantes interdum deprimis ipse,
Irasci quoties te sibi uelle putant.
Sustentat tamen, & præbet solatia uerbum,
Ergò arbor gressus arida facta regit.
Hæc tamen in florem rursus sese induet arbor,
Reddet enim iustis præmia digna Deus.
Ille senex lumen qui præfert doctor habendus,
Errantem ut monitis ritè gubernet, erit.

Accinctum lateri piſcem cum farre gerebat,
In quorum laſſus robore ferret iter.
Sic pater omnipotens firma ſpe roborat omnes,
Afflictos ſemper curat, alitq; ſuos.
Immenſo pictor finxit quoq; corpore ſanctum,
Membraq; plus æquo grandidiora dedit.
Eſt etenim excelſæ ſemper præſtantia mentis
Optanda, ut tantis par ſit ubiq; malis.
Ingreditur properans ſuccinctus ueſtibus Heros,
Et maris ampliuagi cuncta pericla ſubit.
Cum nunquam Mundi ſtudijs agitata labaſcit
Mens, quorum Chriſtus corda quieta tenet.
Poſtremo mortem diuo conſciſcere pergit
Impia gens Chriſto, gens inimica Deo.
Flagrantem capiti galeam impoſuere, ſed hæc uis
Non mouit magni pectora firma uiri.
Poſthac ſuppoſitum flammis urgentibus urgent,
Et celeri cupiunt morte perire ſenem.
Indomita uirtute manet gens dedita Chriſto,
Triſtibus & nunquam frangitur illa malis.

DE MONARCHIIS.

Aſpicis ut iaceant diſiecti membra coloßi,
Qui Chaldæa olim uiſus in arce fuit.
Stat tantum pars ima pedum ferroq; lutoq;
Mixta, ſtatim rimis corruitura ſuis.
Deleuere urbes Turci, populosq; potentes,
Sunt igitur ferrum, cætera regna lutum.

Sed

Sed lapis absq; manu celso de monte reuulsus,
Mox aderit Iudex Filius ipse Dei.
Totius & plantæ delens ferrumq; lutumq;,
Regna dabit populo non peritura suo.
Ergo Dei Gnato se dedant pectora nostra,
Ipsius & discant iussa uerenda sequi.
O λόγε. Gnate Dei nostris in mentibus adsis,
Et flatu accendas pectora nostra tuo.

PETENDVM VT SIMVS unum in Christo.

In tristi sudans quòd poscit agone cruorem,
Æterno Christus de genitore satus.
Semper concordes, unumq; ut simus in ipso:
Cum Christo nostra hoc uota, animiq; petant.

AD STVDIOSAM IVuentutem pro felici anni auspicio.

Vere Deus sapiens uerbo qui cuncta creasti,
Et certis annum legibus ire iubes.
Cumq; uelis pulchri metæ spectentur ut anni,
Miranda Solis tu regis arte uias.
Effice ut iste tuo nobis sit numine felix
Annus, qui nouus hoc incipit esse die.
Da pacem, uigeantq; bonæ te præside leges,
Ac Euangelij nos rege luce tui.

Infirmum ſcis eſſe 'gregem qui dogmata diſcit,
Viuifica gnati tradita uoce tui.
Adſis in nobis igitur cuſtosq; paterq;,
Nulla uenit nobis Te niſi dante ſalus.
Et quia tu legum fons, pulchri ac ordinis autor
Es Deus, & cuſtos legitimi Imperij.
Fernando tribuas longa & felicia regni
Tempora, da fauſtus ſit pater ut patriæ.
Succèdit fratri frater tibi Carole, cuius
Virtutem ſemper ſecla futura canent.
Viciſti quoties, bonitas tua lenijt iram,
Ne bellum poſſent triſtia plura ſequi.
Ex auro frenos dat Pallas Bellerophonti,
Seruet ut in bellis cum ratione modum.
Par bonitas fratri eſt, qui parcere ciuibus optat,
Et contra Turcos qui pia bella gerit.
Quos procul à nobis depellas Chriſte precamur,
Bellaq; nemo domi ſeditioſa gerat.
Tu quoq; quæ uiuis ſtudijs addicta iuuentus,
Officio rectè fungere quæſo tuo.
Dent igitur ſolito nobis ſua nomina more,
Cenſuram ſtudij qui ſubijſſe uolent.
Non his officium noſtrum, nec amica uoluntas,
Deerit ingenijs officioſa bonis.

Aliud Carmen.

Effundam flatum, dicis, Dauidis in agmen
Chriſte, Euangelij qui ſolet eſſe comes.

Gratia

Gratia magna Dei docili ut notißima fiat,
Vtq; prece accedat non dubitante Deum.
Mentibus & petijſſe iubes hoc munus anhelis,
Teq; auidis iuras hoc dare uelle bonum.
Ergò uoce tua confiſi Chriſte precamur,
Aura Euangelij ſit comes iſta tui.
Luceat in nobis, & iuſtæ pectora noſtra
Adſimilet Legi, quæ data uoce Dei eſt.
Te uerè æternumq; patrem ut cognoſcere poßint,
Et motus habeant, quos tua uerba docent.
Hæc nos flamma tibi iungat, ſummoq; parenti,
Ipſe ſit in nobis iam noua uita Deus.
Non ſine doctrina uenit hæc in pectora flamma,
Diſce igitur, ſtudijs & pia uota iuues.
Eximia eſt ergò pietas, uelle eſſe docentes,
Sic homines ſeruat filius ipſe Dei.
Quare hodie gratæ mentis tribuantur ad aram,
Exemplo multis ſigna futura pijs.

Vita hominis meditatio mortis eſt.

Iohannes Stigelius.

Mors tua, mors Chriſti, fraus terræ, gloria cœli,
Et dolor inferni ſunt meditanda tibi.
Viue diu, ſed uiue Deo, nam uiuere mundo
Mortis opus, uiua eſt uiuere uita Deo.
Quicquid erit tandem mea ſpes eſt unica Chriſtus,
Huic uiuo, huic moriar, cætera curo nihil.

Quid ualet hic mundus? quid gloria? quidue Trium-
Post miserũ fumus puluis et umbra sumus. (phus,

DE COMMENTARIO Epistolæ ad Colossenses, ad Matthiam Pannonium.

Paulus ad exiguas quæ misit scripta Colossas,
Aspera nobilium quas tenet ora Phrygum.
Exposui, ut rudibus sententia planior esset,
Et facilis fieret lectio, grata magis.
Non ego præstigijs inuoluo sophismata cœcis,
Namq; pios non hoc ludere more decet.
Non aliam sensit grauiorem Ecclesia pestem,
Nec res ulla magis pernicioſa fuit.
Quam structæ insidiæ uerbis, confusaq; dicta,
Turpiter & fuco dogmata iuncta nouo.
Quare doctrinam Christi sine fraudibus ullis
Explico, & ut prosim maxima cura mihi est.
Hic quoq; collegi res uitæ & moribus aptos,
Non igitur munus spernito quæso meum.

COLLATIO DE IMPOSITIONE manuum in dedicando Sacerdote, & dedicanda uictima.

Mos

Mos uetus, & prima deductus origine mundi,
Traditus & ſancta relligione patrum.
Sacrifici manibus pecudis contingere frontem,
Hoſtia quæ pura eſt iam facienda Deo.
Norma ſacerdotem ſimilis cur dedicat ipſum,
Impoſita cur fit ſanctus & ipſe manu?
Teſtatur ritus puram eſſe Deoq́; dicatam,
Ante aras pecudem quæ feriendа cadet.
Sic inculpatum mos hic iubet eſſe miniſtrum,
Qui iam Doctoris munus obire uolet.
Non aliquo ſit mens polluta errore prophano,
Vitaq́; ad exemplum crimine tota uacet.
Addictuſq́; Deo diuina oracula tradat,
Officij metas norit & ille ſui.
Lege datos faſces alijs permittat habendos,
Nec rector trepidi geſtiat eſſe fori.
Non uulgi frenos populari deditus auræ,
Nec morum laxet uincula grata Deo.
Nolit ad affectus regum, cœcosq́; furores
Flectere ſe turpis iuraq́; faſq́; Gnatho.
Quiq́; manum imponit rectoris nomine ſummi,
Semper ut huic curet ſubditus eſſe iubet.
Doctrinam, moresq́; regant cœleſtia dicta,
Et noua non auſit condere iura ſibi.
Heu quantum rerum molem, quæ pondera Doctor,
Infirmis humeris ille gerenda ſubit?
Seu cupidas Regum mentes frenare ſtudebit,
Seu populum ad mores uult reuocare bonos.

Numina ſeu confícta dolo detrudat ab aris,
Impia Pontificum diminuitq; lucra.
Sed fictam monachis perſonam detrahet, atq;
Adferat æterni dogmata uera Dei.
Quas feret ærumnas furijs agitantibus hoſtes,
Tollere quiq; è medio tale Catharma uolent.
Sic etiam Doctor ſincerus uictima fiet,
Aßidueq; litat ſanguine & ipſe ſuo.
Ecce tenes cauſas, cur ritus dedicat idem,
Et pecudem & myſten qui pia ſacra facit.
Iſta ſacerdotis Chriſti ueriſſima imago eſt,
Muneris huic detur gloria prima ſacri.
Hic ſine labe fuit, claraq; in luce parentem
Et uidet, & uero ſemper honore colit.
Huic Deus ipſe manum impoſuit, iußitq; docere,
Arcana æterno dogmata prompta ſinu.
Hunc preſſere manus, & iuſſa ſeuera parentis,
Supplicio ut lueret crimina noſtra ſuo.
Hunc licet inferior comitatur cætera turba,
Officij titulum cui dedit ipſe ſui.
Vult Euangelij cuſtodes ſemper haberi,
Militiæ ſocios ſemper & eſſe ſuæ.
Cum mater uocat hos Eccleſia nomine Chriſti,
Mandat & impoſita munera ſacra manu.
Admoniti diſcant iſtius imagine ritus,
Hic ordo quantum polliceatur opus.
Vt pecus ante aras quondam ſacrata cadebat,
Toſta Deo ut fierent uiſcera ſuauis odor.

Victi-

Victima sic etiam Christo fit quisq; sacerdos,
Laudibus ut fragrent terra polusq; Dei.
Talis Abel tenerum purè mactauerat agnum,
Agnus at exitio mox datus ipse fuit.
Consilio patrias Esaias rexit habenas,
Et trepidis portus ciuibus ille fuit.
Depulit Assyrium Solymis à mænibus hostem,
Victori ponens clara trophæa Deo.
Iamq; senex centum uitæ confecerat annos,
Cum serra scissus uictima & ipse fuit.
Nemo potest memorare omnes, spectabimus omnes,
Cum Deus induerit corpore quemq; nouo.
Talia sed quædam prodest exempla tenere,
Non Baptista igitur prætereundus erit.
Hic Euangelium monstrato tradidit agno,
Placatum nobis qui facit esse Deum.
Et Pharisæorum taxans deliria, ritus
Fucosos uetuit pro pietate sequi.
Iustificamq; fidem docuit Iordanis ad undam,
Et rupes Gnatum iam sonuere Dei.
Sordibus humanis Lex obscurata iacebat.
Huic etiam lucem reddidit ille suam.
Congrua descripsit ciuilis munera uitæ,
Iuraq; militibus, iudicibusq; dedit.
Atq; fidem iußit lucere in rebus agendis,
Notior ut fieret gloria uera Dei.
Coniugij sancit legem, damnatq; Thyesten,
Vxorem fratris qui rapere ausus erat.

Quare Baptiſtam crudelis adultera perdit,
Qui moriens ueluti uictima cæſa iacet.
Notitia Chriſti Stephanus non ſanguine Tauri
Reſtitui uitæ dona perennis ait.
Concio Pontifices ingrata accendit auaros,
In caput ut iacerent aſpera ſaxa uiri.
Vtq; alios multos ſileam, fit uictima Paulus,
Eoo Chriſti nomen ab orbe gerens.
Et dum ſex luſtris terraq; mariq; uagatur,
Ac Euangelium ſpargit ubiq; Dei.
Et negat extingui mentem diuinitus ortam,
Corporis è uinclis quando ſoluta fugit.
Proponensq; malis pœnas, & præmia iuſtis,
Arbitrio uero diſtribuenda Dei.
Iuſticiam monſtrat, quam Chriſti propter honorem,
Æternus nobis dat, pater atq; probat.
Interea pugnæ, pugnisq; pericula iuncta,
Tam longo exercent tempore mille uirum.
Dum tandem ferienda dedit ſua colla Neroni,
Et iacuit tanquam uile cadauer humi.
Noſtra etiam uidit quanquam infeliciter ætas,
Qui uitæ Chriſtum præpoſuere ſuæ.
Hic ubi diuiſo Batauorum eſt inſula Rheno,
Suduaniam in ripa dure Sicamber habes.
Hæc tulit Henricum ciuem, quem uidimus ipſi,
Florentem ſtudijs, ingenijq; bonis.
Hic toto Chriſti ſpirabat pectore amorem,
Cui ſtuduit uera reddere uota fide.

Eximia.

Eximiaq; ſuos mores pietate regebat,
Virtutum exemplum poſſet ut inde capi.
Quicquid id eſt, quod de natura Græcia ſcripſit,
Artibus excultus norat & ille bonis.
Quas teneat metas dum totum perficit annum,
Aureus obliquo phœbus in orbe means.
Longius à terra cum ſummo tardus in axe
Voluitur, arentes cur premit æſtus agros.
Cur quoties imo uelocior ibit in axe,
Et propior terræ frigida Bruma uenit.
Hæc ita contemplans autorem agnoſcere iußit,
Et pura grates dicere mente Deo.
Hæc ait oſtendunt nobis illuſtria ſigna,
Æterna mundum non ſine mente regi.
Altera ſed potior fuit illi cura tenere,
Extant quæ nobis tradita uoce Dei.
Hoc Doctore iterum Bremenſi inclaruit urbi,
Vnius Chriſti munere parta ſalus.
At quia diuinos ſtatuis detraxit honores,
Exitium Monachi qualibet arte ſtruunt.
His furijs mitra ornatus dedit arma Tyrannus,
Qui tandem oppreſſum non procul urbe necat.
Hei cur tam ſubitò orbata eſt Eccleſia tali
Lumine, quo poſthac debuit illa frui.
O dilecte mihi ante alios Henrice laboris,
Nunc partem noſtri te tolerare uelim.
Talia præconum quamuis ſunt fata piorum,
Membra iacent ſæuis & lacerata modis.

Non periere tamen sed habent commercia læti,
Cum Christo, uiuis agminibusq; patrum.
Huius, cum stanti tibi frons tangetur ad aram,
Te fieri socium noueris ipse Chori.
Pontificemq; scias tibi Christum imponere dextrã,
Poscenti uires, & dare uelle nouas.
Proh quanto à falsis mystæ discrimine ueri
Distant, hoc etiam nos meminisse decet.
Nemo potest unquam censeri iurè sacerdos,
Contra Euangelium qui fera bella gerit.
Quiq; furens audet noua fingere Numina, quiq;
Sacra facit nulla tradita uoce Dei.
Tales sacrifici celebrabant Orgia Baccho,
Errans cum Thyrsis ebria turba suis.
Et Salij Martis tales ignota sonabant
Carmina, cum gererent scuta uetusta manu.
Sacrificos similes creat & nunc Roma prophana,
Qui propter uentrem numina falsa colunt.
Hos fuge, & à ueris Christi discerne ministris,
Purè Euangelij qui pia iussa docent.
Deniq; uota pij faciant, summumq; parentem,
Assiduis precibus quod iubet ipse rogent.
Vt populum per quem uero celebretur honore,
Augeat & semper, protegat atq; regat.
Felicesq; duces addat, doctosq; ministros,
Larga Euangelij messis ut esse queat.
Arceat & Christi grassantem dextra Draconem,
Ne ferus humanum deuoret omne genus.

Seruet

PRIMVS.

Seruet opus pater æternus quod condidit, atq;
Noticiam extingui non ſinat ipſe ſui.

PAVLVS EBERVS.

Sum minor, indignusq; tuis pater optime tantis
Muneribus, præbet quæ tua dextra mihi.
Qui ueniam toties lapſo mitißime præſtas,
Inſuper & cumulas me bonitate tua.
Fac horum ſemper memor ut tibi grata rependam
Obſequia, & proſint hæc tua dona alijs.

Idem, ex Eſaia 49.

Num poterit mulier curam deponere Nati?
Vt ſobolem mater negligat ipſa ſuam.
Pone quòd eueniat, genetricis ut exuat omnem
Affectum mulier, ſæuior illa feris.
Ipſe tui nunquam tamen obliuiſcar in æuum,
Inq; mea tua ſunt nomina ſcripta manu.

PHILIP.

LIBER

PHILIPPI MELANTHONIS EPIGRAMMATVM LIBER SECVNDVS.

De consideratione humani corporis.

Non casu uolucres Atomi sine mente ruentes,
Hanc Mundi formam progenuere nouam.
Formatrix sed mens sapiens, ac optima Mundi est,
Consilio seruans condita cuncta suo.
Quæ clara impreßit passim uestigia rebus,
Conditor agnosci poßit & inde Deus.
Nosse uias numerorum ac ordinis, atq; tenere
Immotum recti, iudiciumq; mali.
Non hæc ex cœcis atomis sapientia uenit,
Verum est Naturæ prospicientis opus.
Sic etiam positus cœli, terræq; perennes,
Quodq; trahunt certæ sidera cuncta uices.
Testantur uerè Numen sapiensq; bonumq;
Esse, quod has leges condidit atq; regit.
Sic non humano concreta in corpore membra,
Sponte sua, & casu nata sine arte putes.
Singula consultò certos distinxit ad usus,
Cum templum uellet nos Deus esse sibi.
Diuina in cerebro radios sapientia spargit,
Cum uerbo mentes luce suaq; regit.

At

At cor iuſticiæ domus eſt, ſentitq; dolores,
Cum punit ſontes uindicis ira Dei.
Adflatuq; Dei purgatum gaudia ſentit,
Et uita fruitur non pereunte, Dei.
Formatum ad tantos corpus cum uideris uſus,
Factorem agnoſcas, & uenerere Deum.
Ipſius & templum non labes ulla prophanet,
Pollutum abijciat ne grauis ira Dei.

SOLONIS ELEGIA, Citata à Demoſthene, de cauſis quæ adferunt exitium regnis, & magnis ciuitatibus, conuerſa ã Phil. Melanth.

Non urbem ſuperi cupiunt euertere noſtram,
Et nobis, niſi ſint Numina læſa, fauent.
Ac noſtræ cuſtos arcis Tritonia Pallas,
Perpetua cura mœnia noſtra tegit.
Ipſi ſed patriam ſceleratis mentibus ultrò,
Conantur ciues dilacerare ſuam.
Nam precio quidam uendunt leges q; fidemq;,
Aurum qui nullo iure modoq; petunt.
Sæuitiam exercent, rapiuntq; Tyrannida quidam,
Induat ut iuſtus ciuibus arma dolor.
Pars ſtudet & ſancire domeſtica damna rapinis,
Exhauſit patri cum malè luxus opes.

Diripiuntq; urbis patrimonia publica nostræ,
Et sibi diuitias uiq; doloq; parant.
Et non Iusticiæ formidant numen & iram,
Consilijs superum quæ Dea semper adest.
Hæc oculis cernit uigilantibus omnia facta,
Nemo putet falli Numina posse Deum.
Et quamuis pœnas differt aliquandò, tacetq;,
Mente tamen memori facta nefanda notat.
Exigit & tandem pœnas non regna, nec urbes
Effugiunt clades, quas meruere graues.
Hinc urbs diuitijs quondam, imperioq; superba,
Seruitij patitur tristia iura modò.
Aut rabidi ciues in mutua uulnera stringunt,
Exorta gladios seditione suos.
Aut ualidos hostes sine causa fortè lacessunt,
Sopitumq; mouent quod fuit ante malum.
Namq; urbs, quæ socios iniustis prouocat armis,
Mox ruet, & subitis est peritura modis.
Casibus his ualidæ gentes delentur & orbes,
Pro spreta pœnas quæ pietate luunt.
Et si qui excidio patriæ fortasse supersunt,
Posthac fata illos non leuiora manent.
Extorres, sine spe, sine sede, inopesq; uagantur,
Aut empti precio uincula dura gerunt.
Sic partem fert quisq; suam cum publica clades
Incidit, & prohibet Ianua nulla malum.
Non latebræ quenquã fugientem abscõdere possunt,
In thalamos penetrant publica damna tuos.

Hæc

Hæc moneo ciues, nec fabula ficta putanda est,
Leges atq; Deum spernere, crede, nocet.
Sed placidam retinet pacem reuerentia luris,
Peccanti quæ non parcere lenta solet.
Hæc prohibet turpem luxum, frenatq; rebelles,
Crescere nec patitur semina sparsa mali.
Iudicis emendat fraudes, uiolentaq; facta,
Nasci inter ciues dissidiumq; uetat.
Deniq; uita hominũ tranquilla & honesta manebit,
Seruandi leges dum pia cura manet.

DE OPPIDO TORGA, quæ in Tabulis Ptolemæi existimatur esse Argelia.

Vrbs uetus est gentis Mysorum nomine Torga,
Hic sita ubi flauis labitur Albis aquis.
Quæ fausta quondam dicta est Argelia uoce,
In tabulis ueterum, ceu monumenta docent,
Nec uocem Græcam terris miremur in istis,
Ionicæ genti Mysia mixta fuit.
Forsitan ista fuit Dominorum regia sedes,
Hinc solare iubar nomina clara dedit.
At quamuis urbes fatalia tempora mutant,
Et cœlum patria est unica firma pijs.
Hic ubi semper erit Deus omnia in omnibus idem,
Luce sua mentes, iusticiaq; replens.

Motibus in tantis tamen hæc Argelia reſtat,
Poßidet & decus hoc de bonitate Dei.
Lux Euangelij quod in iſta ſpargitur urbe,
Cum qua ſemper adeſt Filius ipſe Dei.
Iſtius hic urbis ſol eſt, hic colligit agmen,
Iuſticiæ radios cui dat habere ſuæ.
Donat & æternæ cunctis exordia uitæ,
Iuſtifica accipiunt qui bona tanta fide.
Hic populi frenat legum reuerentia mores,
Et cenſura grauis turpia facta notat.
Adde quòd imbuitur doctrinæ lacte Iuuentus,
Et legita ſummo tradita ſcripta Deo.
Hæc teneris animis oſtendit lectio Chriſtum,
Et noua Virtutum ſemina ſparſa fouet.
Saxoniæq; aliquot Ducibus naſcentibus ortu
In primo, hoſpitium Torga fidele dedit.
Fridericus ſapiens princeps hac natus in urbe eſt,
Promeruit patriæ qui pater eſſe ſuæ.
Conſilio qualis Neſtor fuit inter Achiuos,
Teutonicis ducibus Neſtor & iſte fuit.
Et cum doctrinæ lucem renouare Lutheri,
Cœpiſſet ſcriptis Filius ipſe Dei.
Iſtius pietas tutam & moderatio ſedem,
Conceßit ſtudijs docte Luthere tuis.
Nomina quiq; tenet patris patruiq; Iohannes
Fridricus Torgæ natus in arce fuit.
Cui quanquam eripuit patriam ſors aſpera belli,
Non procul hinc Cæſar cum ſua caſtra locat.

Non

Non tamen eripuit uirtutem & pectus honestum,
Et qua Gnate Dei Te colit ipse, fidem.
Ergò & iudicio uictoris digna fauore est,
Ipsius uirtus nescia mensq; doli.
Sponte sua libertatem qui reddidit ipsi,
Hoc quantum decus est Ian Friderice tibi.
Ah tandem lachrimæ uincant pietate fluentes,
Vt Dominæ reddas optime Christe uirum.
Exilij numerans quæ iam contabuit annos,
Dulichij coniunx ceu generosa uiri.
At uiuit tamen & superat longè Icariotin,
Confidit tantum nam bonitate tua.
Redde patrem Natis sic expectantibus ipsum,
Vt uult Telemachus posse uidere patrem.
Qui reliquos fratres annis præcedit, & ipsi
Nascenti hospitium Torga fidele dedit.
Hanc urbem, totamq; oram tua dextera seruet,
Semper & hic cœtum collige Christe tibi.

AD STVDIOSAM Iuuentutem.

Si decus Ausoniæ linguæ retinere studetis,
Si cupitis recte uerba latina loqui.
Cura sit à teneris uatum cognoscere scripta,
Eloquij fontes hos sciat esse puer.
Horum pectoribus motus Deus indidit acres,
Sublimemq; dedit Musa canora sonum.

Verum non ſatis eſt legiſſe poëmata tantum,
Accedat ſtudijs altera cura tuis.
Vt doctis digitis exempla effingere certes,
Cogere & in numeros uerba ſoluta nouos.
Hic labor ingenij uires acuitq;, fouetq;,
Hinc uenit eloquij copia, forma, nitor.
Hoc ſi langueſcet ſtudium, ſi ignara iuuentus,
Non perferre uolet tœdia longa ſtyli.
Hei mihi quæ clades, reliquas iterum obruet artes?
Barbaries tenebras inuehet atra nouas.
Ad uates igitur docilis reuocanda Iuuentus,
Hinc ſibi ſermonis lumina clara trahat.
Et quanquam oblectent numeriq; ſoniq; legentem,
Rerum animos grauitas plus tamen ipſa capit.
Naturam rerum totam pinxere Poëtæ,
Et morum quæ ſit norma ſequenda docent.
Hi monſtrauerunt cœli faſtigia primùm,
Non mergenda mari quæ cynoſura notat.
Vt teneant metas errantia ſidera certas,
Signifero Phœbi quæ ſit in orbe uia.
Tardior æſtiuo cur phœbus in axe uehatur,
Cum ſuperat noctis tempora longa dies.
Brumaq; cur noctes extendat frigida, quando
Ima tenet celeres orbita ſolis equos.
Lumine cur careat, cum Soli proxima Luna eſt,
Et medio fratrem cur tegat ipſa die.
Vt lunam inuoluat tellus ingentibus umbris,
Et uetet oppoſito lumine poſſe frui.

Quasq;

Quasq; uices ſeruent orientia ſidera cœlo,
Et quo diſcedant ordine merſa mari.
Quæ ſtellæ diros moueant, urantq; Cometas,
Ac flammis iſtis ſuppetat unde uapor.
Nec cauſas recitant tantum, ſed fata poëtæ
Deſcribunt, fieri nec temerè iſta monent.
Eſſe Deum uerum autorem teſtantur, & iſtum
Mentibus humanis hæc dare ſigna ferunt.
Cui non res libeat ſtudioſè inquirere tantas,
Dura niſi ſi cui eſt mens Adamante magis.
Has complectuntur uatum monumenta bonorum,
Quantum ipſas homini cernere poſſe datur.
Ergo dexteritas, & docti cura Mycilli,
Ad Muſas lector cum tibi monſtrat iter.
Hoc duce Parnaſſi celſas aſcendito rupes,
Et tua doctrinæ fontibus ora riga.

IN CARMEN MELCHIORIS Acontij.

Quamuis ingrata eſt hominum natura, nec unquam
Reddere pro meritis præmia iuſta ſolet.
Nulla tamen laudes ætas abolebit Eraſmi,
Non omnino mori gloria uera poteſt.
Scriptorum utilitas ingens faſtidia uincet,
Et mixtæ charites, & nitor atq; lepos.
Non aliena augent igitur præconia famam,
Æternum peperit nam decus ipſe ſibi.

Sed tamen est pietas meritis hunc reddere honorē,
Et grata munus uoce referre datum.
Hoc animo carmen facundus Acontius edit,
Quo celebrat laudes Roterodame tuas.
Non uena indigna est, quæ magnum cantet Erasmū,
Officij laudem sed magis ille petit.

DE INGRATITVDINE Hominum.

Sunt homines humeris quos si quis gestet ad urbem
Ausoniam, domiti quæ caput orbis erat.
Ni tamen ad portam placidè deponat eosdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

ITEM.

Ingrato cuculus nutricem deuorat ore,
Et miseræ pietas officiosa nocet.
Hei mihi quam scelus hoc imitantur sæpè uolucris,
Pectora quæ Cygno candidiora putas.

DE ECLIPSI LVNAE quæ erat die 28 Octobris Anno 1547.

Certa Deus toti impressit uestigia mundo,
Agnosci sapiens conditor unde queat.
Nec natas casu res esse, ars indicat ipsa,
Stellarum motus quæ regit atq; uias.

Esse Deumq; docet menti lux insita nostræ,
Separat à factis quæ uiciosa bonis.
Conscia corda Dei cum iustam uindicis iram,
Quolibet admisso crimine mæsta, tremunt.
Et semper culpam pœnæ comitantur atrocem,
Et si sera, tamen præmia laudis erunt.
Non urbs, non regio, non ætas ulla seueri
Iudicij exemplis non domus ulla caret.
Ac Deus ut flectat nos ad meliora, stupendis
Incautos signis præmonet ipse datis.
Sæpè timent aliquem conterrita sidera casum,
Sæpè ingens tellus ceu ruitura tremit.
At quos nulla mouent uenturæ nuncia pœnæ,
Cyclopum similes forsitan esse uolent.
Sponsi penelopes minitantia numina rident,
Cum cernunt tota tristia spectra domo,
Cumq; madent tetro sudantia saxa cruore,
Et subita phœbum Cynthia nocte tegit.
Mox tamen hunc risum Sardoum pœna secuta est,
Qualis contempti Numinis esse solet.
Nos igitur moniti tollamus lumina ad astra,
Non aspernantes signa uerenda Dei.
Hesperias Phœbus cum cras mergetur in undas,
Luna tenebrosum proferet atra caput.
Postq; dies aliquot cum iam decreuerit Orbis,
Venit & ad fines Scorpio Luna tuos.
Horrenda inuoluet fratris caligine uultus,
Cum iam de cœli culmine ducet equos.

Et ſimul in tenebras incurrent Marsq̃; Venusq̃;
Callidus & fraudum ſtructor Atlantiades.
Hei mihi quos motus populi, quantosq̃; furores,
Portendunt tetro ſidera iuncta loco?
Hæc licet aſtra regant homines, regit attamen aſtra
Noſter qui non uult Stoicus eſſe Deus.
Nos igitur quibus eſt afflicta Eccleſia curæ,
Aßiduè oremus ſupplice uoce Deum.
Leniat ut clemens hæc tanta pericula nobis.
Et ſanet populi uulnera ſæua ſui.

De Eclipſi die Lunæ, 24 Ianuarij. Anno &c. 44.

Obſcura donec tegitur caligine phœbus,
Vſuram nec dat luminis ipſe ſui.
Auditor luctu ueros oſtende dolores,
Vtq̃; Deus pœnas mitiget, adde preces.
Omittenda igitur nunc eſt prælectio nobis,
Cras uero ut redeat lætior hora precor.

GIGANTES CLAMORE Aſini diſſipati.

Impia cum ruerent Titanes in arma furentes,
Conati æthereas perfodere enſe domos.
Iuppiter at patrijs depelleret arcibus hoſtes,
His tamen incuſſus nec pauor inde foret.

Men-

Mentitis imitans Pan Ægocerota figuris,
Terruit hac ſpecie grandia monſtra truci.
Sed neq; tunc fracti bello ceſſere Gigantes,
Bacche tuus uector donec Aſellus abeſt.
Ille rudens rauco dum claſsica perſonat ore,
Anguipedes turpi dant ſua terga fugæ.
Hand ſecus Autolici callentes furta Sophiſtæ,
Dicentes uero crimina multa Deo.
Terribili fugient Aſini clamore repreſsi,
Bella ματαιολόγων exitus hic ſequitur.

Vita humana plena malorum.

Vita quid eſt? Labor eſt, & habendi uana cupido,
Triſtis ad extremum ſollicitudo diem.

ITEM.

Vita fugax hominum, multorum plena malorum,
Omnibus his finem mors facit atra malis.

CARMEN AD RECTOrem & Profeſſores inclytæ urbis Marpurgenſis, ſcriptum in itinere à Philippo, cum proficiſceretur ad colloquium in urbe Vangionum, Anno 1557.

Cum redit Aſſyrijs Iſaaci gnatus ab oris,
Vxores ſecum filioloſq; trahens.

Nec tantum ignotas gentes, & barbara corda,
Verum etiam ſocerum, fratris & arma timet.
Hunc λόγε gnate Dei tua dextera texit, opemq́;
Luctanti, ut claudus uinceret ipſe, tulit.
Sic iter ingreſſos nos ad certamina ſæua,
Plena futura odij, plena futura doli.
Protege Gnate Dei, nos conſilioq́; guberna,
Hoſtilis rabies ne nocuiſſe queat.
Vt uerò Iſacidæ conceſsit Amygdalus umbram,
Vrbis & exiguæ ius dedit hoſpitij.
Sic nos excipiat feſſos Academia ueſtra,
Quæ candore ſuo uincit Amygdalinum.
Non fertur caſu natura ſine ordine, ſed mens
Formatrix rebus ſignaq́; uimq̄; dedit.
Fructus Amygdalinus foris eſt lanugine cinctus,
Dura magis ſub qua lignea clauſtra iacent.
Nucleus in medio ſuauis latet atq; ſalubris,
Qui cibus eſt nobis & medicina ſimul.
Prima ætas molli doctrinæ uoce regenda eſt,
Iucundisq́; typis, iſta putamen erunt.
Durior hinc cuſtos lex eſt, ſonteſq́; trucidat,
Ac omnes homines iudicat eſſe reos.
Sed trepidis Euangelij uox grata medetur,
Hæc ſunt Iſacidæ ſignificata ſeni.
Ergò ſcholæ ſimilis credatur Amygdalus eſſe,
In qua doctrinæ uox ſonat una Dei.
Congruit hoc etiã uulpes quòd Amygdalæ amaræ,
Guſtatæ ſubita morte necare ſolent.

Sic

Sic Schola flexiloquos extinguit casta Sophistas,
Ars quibus Archilochi uulpis & acta placent.
Vestra igitur cum sit custos Academia ueri,
Quærimus hic umbras nos quoq; Amygdalinas.
Sed iure hospitij date Xenia mitia uina,
Sintq; unum in uero pectora nostra Deo.

IN HONOREM CONIVgij M. Dauidis Chytræi.

Margaris in conchis oritur dulcedine roris,
Nomina quæ Sponsæ Margaris apta dedit.
Rorem Euangelij quo pingit nomine Christus,
Mens pia quem sitiens ceu noua concha rapit.
Sicut arenoso sitiens in littore concha,
Quando suum primo Ver modò tempus agit.
Siccior à cœli stillantem cardine rorem,
Pinguior ut fiat fertilitate, petit.
Quo bene nunc hausto (quod et est mirabile dictu,)
Gemma salutaris cordibus inde uenit.
Hæc tamen in magnis generosior acta procellis,
Si modo post rorem turbo sequatur, erit.
Parua redemptoris sic est Ecclesia Christi,
Donec in hac mundi colluuione latet.
Appetit è cœlo cœlestia dogmata, rorem,
Dogmata uiuentis tradita uoce Dei.
Hoc sic attracto sitienti pectore, rore,
Nascitur inq; animis mox noua gemma pijs.

Scili=

Scilicet agnitio uero de nomine uera,
Cumq; Dei ſurgit firma timore fides.
Æterni bonitas tunc ſit conſpecta parentis,
Quandò fide pectus ſentit adeſſe λόγον.
Hæc lux atq; fides inter certamina creſcit,
Cum petit auxilium maxime Chriſte tuum.
Hæc quoq; contriti cordis data gemma dolori,
Vnica ſolamen quod medicatur, habet.
Præſtat & æternæ ueriſſima gaudia uitæ,
Gaudia quæ nullo ſunt moritura die.
Has propter cauſas ad gemmam dogmata pacis,
Filius æterni comparat ipſe Dei.
Ergò bonis ſtudijs decus ornatiſſime Dauid,
Quì uatum meritò dignus es ore cani.
Cum tua Margaridos coniunx pulcherrima nomen,
Omine tam rebus conueniente gerat.
Te decet hoc ipſo lætari nomine ſponſæ,
Quod monet ut Chriſti dogmata ſemper ames.

DE ABSOLONE filio Dauidis.

Degener immeritò rapuiſti ſceptra parentis,
O Iuuenis patriæ peſtis acerba tuæ.
Digna tuis factis ſed pœna ſecuta uagantem,
Frondibus arboreis implicuere comæ.
Haſta Ioab maduit forti uibrata lacerto,
Sanguine transfixo pectore tincta tuo.

Has

Has ſcelerum pœnas pulſo dedit ille parente,
I nunc & patrijs inſidiare bonis.

EPIGRAMMA QVO contra papalia monſtra commendatur coniugium pium.

Quicunq; inſano tenuit connubia faſtu,
Coniugij autori diſplicet ille Deo.
Namq; adeo infectus primæuæ crimine culpæ,
Dum uitæ adfectat non niſi ſuaue genus.
Non uidet eſſe Dei munus quòd ſancijt ipſe,
Sancitumq̃; ſua pro bonitate iuuat.
Sed natus uitijs uiuit, uitijsq̃; ſeneſcit,
Inuenit in uitijs & ſua fata ſuis.
I nunc & mundo uitam mentire pudicam,
I nunc cum monachis impie Papa tuis.
Ite quibus ſordent ciuilis munia uitæ,
Quæ parit à magno conſita planta Deo.
Ite quibus ſordent teneræ Dauidis oliuæ,
E quibus humanum prodijt omne genus.
E quibus imperia, & leges naſcuntur, & urbes,
Longinqua celebrent ut pietate Deum.
Dum loquor, exitium felix tibi nunciat omen,
I nunc cùm monachis impie Papa tuis.

DE

LIBER
DE MOTV ASTRO=
rum in Theoricas Plane=
tarum.

Non ferri caſu pulcherrima corpora mundi,
Verum mente regi conſilioq́; Dei.
Teſtatur phœbus qui certis legibus annum
Conficit, & notis itq́; reditq́; uijs.
Et gratis uicibus lucem noctemq́; reducit,
Et tempeſtiuè nata calore fouet.
Temperat & radios quos excipit humida luna,
Diſtinguens annum menſibus ipſa ſuis.
Deniq; cuncta ſuis labuntur ſidera metis,
Naturam proprijs officijsq́; iuuat.
Hæc cum ſuſpiciens oculis ac mente notabis,
Autorem agnoſcas & uenerere Deum.
Hic nobis hauſtam proprio de pectore mentem
Inſeruit, iuſti noticiamq́; dedit.
Ergò etiam ſcelerum pœnas hic exigit ultor,
Virtutumq́; dabit præmia grata pijs.

DE TABVLIS GEO=
graphicis.

Eſſe Deum, oſtendit mundi pulcherrimus ordo,
Et diſtincta locis corpora prima ſuis.
In medio terra eſt ſedes animantibus apta,
Orbis quam circum lucidus aſtra uehit.

Sunt

Sunt quibus arte uiæ factæ, metæq; perennes,
Ne casu ex atomis omnia nata putes.
Aspicias igitur terras, ac astra, sciasq;
Esse Deum, cuius nos quoq; cura sumus.
Et uideas ubi non dubijs oracula signis,
Et leges dederit conditor ipse suas.
Quoq; loco fuerint Christi uestigia certa,
Qui λόγος est natus de genitore Deo.
Et spectes fuerint ubi primum maxima Regna,
Lapsa alijs populis cur dederitq; Deus.
Has igitur tabulas Regionum cernere prodest,
Quæ spectatorem talia multa monent.

Aliud Carmen.

Vincere difficile est tentant cùm dulcia sensus,
Ni fugias, pœna est sæua luenda tibi.
Sed fuge, teq; regi poscas à numine Christi,
Offendent quæ non posse nocere putes.

DE LYRICIS Poëtis.

Discite iusticiam moniti, & non temnere Diuos,
Nam sontes punit iudicis ira Dei.
Hæc, cum regna canunt euersa ducumq; furores,
Scriptores Lyrici nos meminisse iubent.
Pindarus hæc melius Cygnæa uoce canebat,
Tu tamen & Flacci carmina sæpè legas.

IMPE-

LIBER

IMPETVS POETICOS

esse dona Dei.

Humanas superans uires Heroica uirtus,
Tales qui motus dat, monet esse Deum.
Sic etiam ubertas fundentis carmina uenæ,
Esse Deum ostendit, motus & ille Dei est.
Ergò agnosce Deum, & iusto uenereris honore,
Cum docti uatis scripta sonora legis.

IN ETHICA.

Non casu uolucres atomi sine mente ruentes,
Hanc mundi formam progenuere nouam.
Formatrix sed mens sapiens, bona, libera, casta,
Omnia miranda condidit arte, Deus.
Vtq; homines essent diuinæ mentis imago,
Attribuit radios lucis habere suæ.
Notitias, quales diuino in pectore lucent,
Addidit & legi congrua corda suæ.
Eheu dissidium sed nostro crimine uenit,
Vtuntur flammis iam mala corda uagis.
Notitiæ manserè tamen legesq; seueræ,
Rectè factorum regula ut esse queant.
Et ne ceu pecudum sit uita sine ordine nostra,
His externa Deus uult modo membra regi.
Vt quanquam iratus gladium stringebat Achilles,
Ipse tamen reprimit cum ratione manus.

Ex

Ex his notitijs diuinis hæc quoq; fluxit
Doctrina, est isto quæ recitata libro.
In quo uirtutum prodest simulachra uidere,
Qualia mens hominis pingere docta potest.
Sed Sol iusticiæ radios in pectora spargens,
Christus & adsimilans nos sibi luce sua.
Virtutem accendit meliorem, nescia mortis.
Quæ uiuit flatu non moriente Dei.
His igitur scriptis doctrinam adiungito Christi,
Vt uiuens in te sit λόγος ipse Dei.

IN V. ETHICORVM Aristotelis, ad Doctorem Chilianum Goldstein.

Qualis erat, terras cum nondum Astræa reliquit
Virgo, tibi si quid forte uidere libet.
Spectandum in parua dabimus Chiliane tabella,
Nicomachus pinxit, Nicomachiue pater.
Natiuo poteris ubi nudam cernere cultu,
Odit mercatum scilicet illa decus.
Et uultus spernit medicatos, gratus ut ille est,
Qualis Apellæis est color in tabulis.
Hei facies quantum Chiliane hæc distat ab illa,
Pingere quam uester Bartolus ille solet.

EPISTOLA DE CONuentu Ratisponensi ad Iohannem Cæsarium. Anno 1541.

Hinc ubi collectis Ducibus iam Cæsar ad Istrum,
Et iustas leges, & pacis fœdera sancit,
Et studet arbitrijs æquis sedare tumultus,
Optō senex tibi perpetuam uenerande salutem,
Cui pater adsurgit medio de flumine Rhenus,
In ripa quoties cœlestia iussa sonantem,
Tradentemq; audit præcepta salubria uitæ,
Errantesq; polo stellæ qua lege uagentur,
Quasq; uices regnis portendant fata, docentem,
Ac hominum cœtus ad munera iusta uocantem.
Aut si quandò mones, qua rerum conditor arte
Indiderit certas uires, & semina plantis,
Ne cœco casu moles hæc orta putetur,
Facta sed æterni mira ratione parentis,
Vtq; hominum genus autori curæ esse sciamus,
Hac ope qui iußit seuos depellere morbos,
Et celeres uitæ fugientis prorogat annos,
Si modo donanti fuerit mens grata, fruiq;
Arte sciet tantis donis, luxuq; fugato,
Lege uoluptates regere, & frenare studebit.
Aut quando recitas exempla uetusta iuuentæ,
Quas dederint pœnas polluti cæde Tyranni,
Quas urbes, & quos reges incesta libido,
Vindicis ira Dei quam non placabilis urget,
Perdiderit, Sybaris ueluti, Thebæq; nocentes
Deletæ subitis perierunt cladibus olim.
Siue ut collisæ ruerint ciuilibus armis,
Artibus & uirtute potens urbs Attica, & huius

Æmula

Æmula bellatrix Spartæ, dum gloria utramq;
Acribus exacuit ſtimulis, regniq; cupido.
Siue ut Cliniades inconſtans fœdera ſæpè
Turbauit, patrias & tandem euerterit arces,
Quas iterum tamen erexit uirtute receptas,
Iuſtior & ueros meritus Thraſibulus honores.
Siue duces inter quoties certamina Romæ
Mouerit ambitio, & totum concuſſerit orbem.
Talia proponens uitæ ſimulachra regendæ,
Eſſe Deum memoras, qui reddit præmia iuſtis,
Et ſcelerum pœnas atroces exigit ultor.
Hortarisq; ſequi bona non peritura iuuentam.
Felix qui ſtudijs traducis talibus æuum,
Multorumq; iuuas uitam, moresq; gubernas.
Ac ueluti Neſtor populumq; ducesq; regebat,
Atridæ fuerant qui claſſem & ſigna ſecuti:
Sic tua doctorum miratur uerba ſenatus,
Sic ab orè tuo pendet ſtudioſa iuuentus.
O utinam doctos audire & reddere uoces
Hos inter cœtus iſthic mihi lane liceret.
Id longè mallem, quàm quo rapit impetus aulæ
Conuentus Regum ſectari, & quærere fruſtra
Centauros inter, qui legum uincula ſpernunt.
Inter & Autolyci callentes furta Sophiſtas,
Vt lacerum Chriſti corpus, diſcerptaq; membra
Sanari, & melius poſſint coaleſcere rurſus.
Hei quàm ſæua cient nobis hic prælia utriq;,
Centauri exitium Diuis cœloq; minantur.

Sed tentant fraudes, & pugnant arte Sophiſtæ,
Præſtigiasq; oculis, animisq; offundere certant,
Inq; nouos uertunt cœleſtia dicta cothurnos.
Horum iam uideas odijs, rabidoq; furore
Miſceri patriam, ſceleratáq; bella moueri,
Cæde ſacerdotum pollutáq; templa piorum
Vaſtari, & tales euerti à ſedibus urbes.
Ni Deus, ut ſeruet doctrinæ ſemina ueræ,
Præcones fidos tegeret, mentemq; potentis
Flecteret Auguſti placidam, ad moderamina tanti
Lenia diſſidij, ac ad iuſtæ pacis amorem.
Hic uetat in patriæ graſſari uiſcera ciues
Hic aris parci mandat, legesq; uereri,
Hic prohibet ſuperum Myſtas attingere ferro.
Semper ut hæc Cæſar faciat mitiſſimus, ipſi
Nate Deo, populisq; tuis concedito Chriſte,
Nec de conuentu plura adijcienda putaui,
In quo magnanimo melius nil Cœſare uidi.
Tu uerò uenerande ſenex ſalueq; ualeq;,
Quem colo Telemachus coluit ceu Neſtora Regem,
Iuſticiamq; ſenis admirans, & pectora plena
Conſilij, & linguæ facundæ dulcia plectra.

DE COMITIIS RATISB: Anni 1541. Somnium.

Me iuſſere Duces fallacem pingere Hyenam,
Et monſtri ſpeciem propoſuere mihi.

Tetra

Tetra erat ex uarijs moles confusa figuris,
Tectaq; liuenti sanguinolenta cute.
Virginei uultus, sed torua micantia flammis
Lumina sæuitiæ tristia signa dabant.
A collo gemini pendebant membra Draconis,
Scyllæi tandem pars erat ima pedes.
Horrebam aspiciens, & toto corpore sanguis,
Ac penè extincto sanguine uita fugit.
Vt pingam tamen illi urgent, non obsequor, aio
Iratus, pingi non bene posse pedes.
Quò ruitis proceres? quis mentes occupat error?
Cur templo infertis talia monstra Dei?
Excutior somno, gelidus cum pectore manat
Sudor, & è subito membra pauore stupent.
Nonnihil hac moneor fortassis imagine, sed te
Christe rogo, ut placidus pectora nostra regas.

RESPONSIO IOACHIMI Camerarij ad Somnium de Hyæna.

Quæ mihi de monstro narrabas uisa Philippe,
Tristia terribilis uisa soporis opus.
Cùm fratrem à uobis uisurus nuper abiui,
Sollicitos tota nos habuere uia:
Nempe tibi, aiebas, carpenti nocte quietem,
Tempore quo somnus membra profundus habet.

Germani quoſdam proceres capita ardua regni,
Ante ſuos uultus exhibuiſſe tuum.
Pingere te ſpeciem orantes fœdam horribilemq;,
Illius à ſcropha quæ fera nomen habet.
Quamq; ſuo perhibet ſermone Pelaſgus Hyænam,
Cuius uirginei frons oculiq; forent.
Per tergum diri coëunte uoluminis angue,
In caput alterius ter duplicante caput.
At nullis effanda pedum immaniſſima uerbis,
Effingenda fuit tradita forma tibi.
Quales Scyllæo quondam memorantur ab antro,
Frigida per Siculi ſtagna natâſſe freti.
Tunc illi hoc à te petierunt inſuper, ante
Sacra Dei, ut uelles conſtituiſſe feram.
Hoc tibi cum nulla fieri ratione uideri
Poſſe, Dei ut proprium polluat illa locum.
Tum uerò illa pedum ſpecies turpiſſima prorſus,
Inq; ædis nulla parte ferenda ſacræ.
Talia quid dicam portendere uiſa quietis?
Nam non portendunt talia uiſa nihil.
An nunc in manibus quas res, atq; acta tenetis,
Credendum eſt aliquo ſignificare modo?
Nam qualis capitis facies? quæ blanda Philippe
Forma huius cœtus conſilijq; fuit?
At mox cum quanta mediam formidine cauſam
Vidimus horribiles implicuiſſe ſtrophas?
Finis & hic illis pedibus reſpondit, & omnis
Exitus acta diu diſſimulata probat:

Et

Et *nulla ueteres dixere imitando referre,*
Posse hominis solos arte Satana pedes.
Atq; *utinam fallat me coniectura, tuiq;*
Miserit hæc nitidum uisa soporis ebur.
Formido *tamen, & curis ingentibus angor,*
Optime sed proprium Christe tuere gregem.
Et *populum defende tuum, tantiq; redempti,*
Corporis auxilio protege membra tuo.
Ne *lacerum, fœdumq; iacens irrideat hostis,*
Et dicat, tuus est nunc ubi quisue Deus?
Tu *Deus in cœlis noster Deus, omnia cernis,*
Vita, salusq; pijs, interitusq; malis:
Gens *seruata tibi celebri tua carmine laudes,*
Sanctificaq; fide debita sacra feret.

AENIGMA DE COLLOquio Ratisbon:

Angulus *& Fossor iungentes fœdera Aratro,*
Vincula cum tendunt imposuisse Ioui.
Luminis *emunctor, Pistorq; & amator equorum,*
Tum tendunt uinclis eripuisse Iouem.
Liber *enim cum sit non fert bene Iuppiter ulla,*
Quæ sunt humana uincula facta manu.

IN CONCIONEM LEPOrum ad Leones, cuius fit mentio apud Aristotelem 3 πολιτειῶν.

Cum ueluti lepores dare iura Leonibus audent,
Hi, ſacra qui populum uerba, fidemq; docent.
Conanturq; truces ſine ui frenare Tyrannos,
Contempti pœnas pro pietate ferunt.

IN VVINTONIENSEM
defenſorem cœlibatus.

Qui caſtitatem magnis laudibus uehis,
Contraq; ſanctum diſputas connubium,
Tu, quiſquis ille celibum admirator es,
Omitte iam tua cogitata callida
De coniugum ac de celibum diſcrimine,
Et te tuosq; contuere celibes,
Quæ ueſtra uitæ puritas ſit iſtius:
Quod ſi impudicitiæ omnibus plenam notis
Libidinumq; ſpurcitate uideris,
Fucis nefandas turpitudines nouis
Ornare ceſſes. Falſa enim præconia
Mores refutant & tui & gregalium.
Nam quid, Deus bone, tu tuumq; iſtud genus
Effœminatum, molle, quale erat phrygum
Idæa currum qui ſequentis per iuga
Matris Deorum pulſitabant tympana,
De continentia atq; caſtis moribus
Speciosa uerba ſanctimoniæ datis,
Non caſtitatem uos profectò quæritis,
Sed huius ut ſub dignitate & nomine

Impunè

Impunè liberèq; turpitudini
Et ſeruiatis moribus nequiſſimis.
ἀχημονοῦντες ὧν τρόπων πονηρία
πάσῃ τ' ἀσελγεία θεοφυγὸς βίος.

DE PVELLIS QVAE quibus conueniant.

Gallus amat celerem pede non remorante puellam.
Quæ leuis eſt certis ac magis apta modis.
Hiſpano magis illa placet cui forma benigna,
Cui Venus ex oculis ſemper amica uidet.
Aſt Italus timidæ lætatur amore puellæ,
Dulcia quæ Veneris prælia ſæpè fugit.
Virgo ſed audaci quæ prouocat ore maritum,
Illa eſt Germano dulcis amica uiro.

DE LECTIONE Hiſtoriarum.

Ipſe Deus metas annorum condidit arte,
Quas oculis ſimul & mente notare iubet.
Vt generi humano ſint nota exordia mundi,
Ex atomis caſu nec coijſſe putes.
Vtq; Deus quo ſe patefecerit ordine conſtet,
Quæq; ſit è cœlo uox data prima Dei.
Et quandò fuerit uenturus, uictima ut eſſet,
Æterno natus de genitore λόγος.

Quòdq; habeant finem mortalia cuncta sciendũ est,
Iudicijq; instet quandò tremenda dies.
Annorum rerumq; igitur sit notus ut ordo,
Regnorum historia est tota legenda tibi:
Hæc etiam ostendit diuinum numen adesse,
Quod nos iusticiam nosse & amare docet.
Punit & iniustos magnis cruciatibus omnes,
Ne dubita, iniustis Lex rata semper erit.

ALIVD.

Oceani rapidis ut uentis unda cietur,
Semper habent uarias sic quoq; regna uices.
Vltima sed motus grauiores sentiet ætas,
Impia Turcorum quæ modò regna uidet.
Christe tua hos inter fluctus quassabitur Argo,
Attamen hanc rabies mergere nulla potest.
Nos prolata tuo qui dogmata discimus ore,
In cymba serues optime Christe tua.

DE INITIIS DOCTRInæ Physicæ.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Naturæ uarias & didicisse uices.
Si tamen autorem primùm mens quærere curet,
Omnia nec casu corpora nata putet.
Esse Deum mentem æternam, quæ condidit arte
Præsentiq; suum Numine seruat opus.

Agno-

Agnoſcas, quoties in cœlum lumina tollis,
Et ſtellas certis motibus ire uides.
Seu quoties hominis naturam introſpicis, atq;
Effigiem nobis cernis ineſſe Dei.
Hunc rerum fontem ſi contemplabere, fructus
Magnos de Phyſicis hæc tibi ſcripta ferent.

VVormatiæ Anno 1540. Simoni Grynæo.

Quod Tullij tribuis laudes mihi docte Grynæe,
Hei nimium dici forte Poëta ſtudes.
Effinxit Siculus cœli, terræq; figuras,
Et quas efficiunt ſidera pulchra uices.
Non tamen ille Deo potuit ſe æquare magiſtro,
Qui uitam & motum rebus ineſſe dedit.
Eloquium Tullij ſic nemo expreſſerit unquàm,
Quod fudit motu mens agitata Dei.
Nemo Pericleo quamuis ſit præditus ore,
Aſſequitur laudes Marce diſerte tuas.
Interea, tenui uena præconia Chriſti
Dicere ſi potero, ſat mihi laudis erit.
Et Deus infantum celebrari gaudet ab ore,
Huic ergo officium ſpero placere meum.

DE PARELIIS CONſpectis Anno 1551. Die 21 Martij.

Spar=

Spargit ut in toto lucem Sol unicus orbe,
Viuificoq̃; unus cuncta calore fouet.
Vnicus æterni sic natus mente parentis,
Accendit radijs pectora nostra suis.
Hei cur plura tamen Solis simulachra uidentur?
Et uacuo mendax ludit imago polo?
Doctrinæ fingent aliqui ludibria forsan,
Adijcient alias dißidijsq̃; faces.
Sed tu Gnate Dei longè mendacia pelle,
Concordes animos lux tua sola regat.

IN INTERPRETATIONE Orationis Aeschinicæ

κτησιφωντος.

Vobis rursum hodie in Scholam feremus
Iustam Rhetoris Attici querelam,
Hostis qua iugulum sui caputq̃;
Iratus petit, atq; pestilentes
Obiurgat rabulas, furentem ad arma
Qui ciuilia, mutuasq̃; cædes
Accendunt populum, sibiq̃; regna
Pergunt impia fraude machinari.
Et leges temerarij refigunt,
Vallum scilicet unicumq̃; murum
Pacis, qua meliùsue gratiùsue
Dij mortalibus haud dedere quicquam.

Hæc

Hæc audire iuuabit uniuerſos,
Qui uirtutis amant decus coluntq;.

AD CLARISSIMVM VIrum D. Doctorem Seldium carmen conſolatorium de obitu fratris, ſcriptum VVormaciæ Anno 1557.

Et dulce & firmum eſt fraterni fœdus amoris,
Cordibus hanc ſoργίὼ indidit ipſe Deus.
Iure doles igitur tibi quod ſit frater ademptus,
Dimidium fuerat pectoris ipſe tui.
Et tibi conſilij ſpecimen fideiq; probatum
Curarum dederat, te modò parte leuans.
Adprobat hunc etiam pietas diuina dolorem,
Sed tamen in mœſtis iußit adeſſe modum.
Non hominum caſu uoluuntur tempora uitæ,
Arbiter eſt certò qui regit iſta Deus.
Nec mentes hominum deleri morte putandum eſt,
Quas adflat membris cœlitus ipſe Deus.
Ergò Deo uitam repetenti cedere iuſtum eſt,
Spesq; nouæ uitæ nunc tua damna leuet.
O quam læta dies hoc quæ me carcere ſoluet,
Vt poßim in clara luce uidere Deum.
Eſſe tui ut ſocios luctus nos Selde uideres,
Hæc non fucato pectore ſcribo tibi.

Ac opto ut uitæ tibi dux ſolatia præſtet,
Æterno natus de genitore λόγος.
Voce ſua cœtus hominum qui colligit, ipſis
Vt uitæ reddat gaudia perpetuæ.

REVERENDO VIRO Iohanni Piſtorio paſtori Nidano, Phil. Melant. die Eliſabethæ, VVormaciæ anno 1557.

Grati munera ſumma Conditoris
Narremus, ſibi colligit quòd agmen,
In quo fulgeat ipſe, ſempiternum,
Plenum iuſticiaq́; gaudioq́;.
Huius agminis eſt Eliſabetha
Conſors, quæ tenuit uetuſta ſceptra
Oræ Tyrigetum, fuitq́; mater
Stirpis inclytæ principum tuorum,
Qui Fuldæ dominantur & Viſurgi.
Semen ſeruat enim Deus piorum,
Hanc cùm nunc celebres Eliſabetham,
Ad nos aduenias Nidane paſtor,
Matronæ ut pia facta proferamus,
Vt tali pietate nos colamus
Æternumq́; Deum, Deiq́; gratum,
Ac motus animi leues domemus.
Multùm exempla pios iuuare poſſunt.
Quanto robore pertulit dolores,

Extin-

Extincto pariter uiro atq; gnato,
Ac pulsa ex patria uiri atq; gnati,
Ostendens mala perferenda sanctis
Esse ingentia, ut inuocare discant,
Mirandum auxilium Deum furentem
Præsentemq; suis adesse cernant.
Sic cur nostra onerata mole tanta
Sit natura, sciamus, atq; iusto
Sit subiecta Deo, simulq; propter
Gnati uulnera nos opem petamus.
Hoc exempla monent Elisabethæ.

AD IACOBVM RVNgium Theologiæ Doctorem, VVormaciæ Anno 1557.

Natalis redit annuus LVTHERI,
Hoc in mense uetus tenente nomen
Orionis, eò quòd hic in undas
Nunc mane insilit, hostis ut uenena
Scorpij fugiat tum trahentis
Aduersa regione cœli in ortu,
Et nymbos ciet horridosq; uentos.
Vt uerò senior docens Orion.
De stellis populos simul monebat,
Quis nam lumina fecerit, uiasq;

Et motus regat arte ſempiterna.
Sæpé addens, Deus ille fecit idem
Humanum genus, è ſuaq; luce
Infudit radios, ſuasq; leges,
Quas ſeruare iubet, coliq; ſemper,
Pœnisq; opprimit impios furores.
Sic & de ſapiente conditore
De Chriſtoq; λόγῳ Dei parentis
Monſtraret meliora cùm Lutherus,
Hoſtes huic quoq; Scorpij fuerunt,
Sed texit Deus utilem miniſtrum.
Idem nos faciat Deus miniſtros
Gratos, & ſimul ut tegat precemur.
Natali celebrentur iſta luce
Dona ingentia, gratiæq; agantur
Æternoq; patri, patriſq; gnato.
Et nobis eadem dari petamus.

AD REVERENDVM VIrum Dominum Petrum Lotichium, Abbatem in Eccleſia Monaſterij, cui Imp: Carolus Magnus Fundator nomen indidit Solitariæ.

Cum Franci tenuere pulchra regna,
Oræ Teutonicæq; Gallicæq;,

Clari

Clari Iusticia, Modestiaq;:
Templa in saltibus, & scholas piorum,
Per quos Fulda fluit, petens Visurgim,
Insigni pietate collocarunt,
Veri noticiam Dei serentes,
Et uitæ documenta sanctioris.
Huc reges quoq; sæpè commeabant
Doctorum sapientia fruentes,
Hymnos inter & hos choros sonantes
Cum Tyronibus, aureis in armis.
Ætas aurea Principum bonorum
Hæc exempla dabat sequenda plebi,
Hi cùm bella mouere erat necesse,
Ausi magnanimi ciere pugnas,
Donarunt patriæ suæ cruorem,
Inter prælia dexteras regente
Te Christo Duce, quem simul uocabant,
Vt soli tibi figerent trophæa.
Rursus tempore pacis, ordinabant
Doctrinæ studium, foriq; iura.
Hei quam dißimiles habet Monarchas
Effœti modò seculi senecta,
Ignauos, stolidos, & inquietos,
Titanum similes, Deo minantes,
Spreto fulmine, Siderum ruinas.
Multos namq; Dei necant ministros,
Quos stellas Daniel uocat Propheta.
Nec morem retinent sodalitates

Veſtræ, quem ſapiens probat uetuſtas,
Multæ ſunt ſimiles uidentur eſſe
Circæis ſtabulis, canumq; ſuumq;.
Ac ut Grillus ibi priora membra
Non uult reſtitui ſibi, uidemus
Sic ſpurcos aliquos manere Grillos,
Spernantes ſapientiamq;, Deumq;.
Solus Lotichius Scholis & aris
Doctrinæ ſtudium, Deiq; honores
Reddit, fictilibus Dijs remotis,
Depulſisq; ſophiſticis tenebris.
Hunc tu Lotichium tuere Chriſte,
Æterno λόγε nate de parente.

Scriptum in Solitaria 11 *die*
Decemb. Anno 1557.

AD ILLVSTRISSIMVM Principem ac Dominum D. Iohannem Albertum, Ducem Megalopyrgenſem &c.

Omnia uaſta facit ſæuis Bellona ruinis,
Præcipuè ſtudijs eſt inimica pijs.
Hoſpitium ſapiens dedit olim Græcia Muſis,
Nunc eſt barbarico Græcia præda duci.
Italiam petiere fuga, ſed fraudibus illa
Pontificumq; armis perdita tota iacet.

Hinc

Hinc igitur dubijs fortunæ casibus actæ,
Intrarunt fines Teutonis ora tuos.
Hic habuere aliquam sed paruo tempore sedem,
Nam furit in nostra Mars quoq; dirus humo.
Ergo per extremam Germani littoris oram,
Hospitium miseræ supplice uoce petunt.
Ne penitus nostro discedant orbe, benignè
Inclytæ Dux Musas tu releuare uelis.
Hoc tibi pro merito condent præconia laudis,
Virtutum testes has iubet esse Deus.
Quod si Castilij respexeris agmina cœtus,
Iuueris & patria numina docta manu.
Hic quoq; Schosserus, cui dictant splendida Musæ
Carmina, perpetua te pietate colet.
Ac tua non tenui cantabit nomina uersu,
Sed qualem phœbus, pierides q̃; probant.

TEYKPION.

Je lenger je lieber ich bin allein /
Denn trew vñ warheit ist worden klein.

Feceris haud quicquam nisi quod fecisse necesse est,
Quam q̃; dedit norma est una sequenda Deus.
Et fugito turbam, nisi cum Respublica poscit
Congressus modicos, futile turba malum est.
Nec tibi curabis multos adiungere amicos,
Rara hæc sunt, candor, gratia, iusta fides.
At si quos poteris re q̃; officijs q̃; iuuato,
Sic tamen, adiutos ne meminisse putes.

Præcipuè uerò remis, uelisq; potentum
Fucoſas fugito cautus amicitias.

M. PAVLO EBERO.

Auſoniæ hiſtoriam cur non mihi Paule remittis,
Quæ noua Pontificum, bella, doloſq; refert.
Ni uenies ad nos, & pagellam modò reddes,
Non fidei hoc Francæ, uerum erit Æmoniæ.

D. DOCTORI VITO VVinſemio.

Ad feſtum Viti celebrandum Vite uenito,
Quem dat parca manus caſeus ille bonus.

Germanici rythmi matris Philippi.

Wer mehr wil verzeren /
Denn ſein Pflug kan ereeren/
Der wird zu letz verterben/
Vnd villeicht am Galgen ſterben.

Horum hæc eſt ſententia.

Si quis de paruis uult plura abſumere rebus,
Quærere quàm uigili ſedulitate poteſt:
Is mendicando uictum petet oſtia pulſans,
Aut feret huic triſtem crux laqueusq; necem.

SECVNDVS.

DE MORTE REVEREN=di uiri D. Doctoris Marti=ni Lutheri.

Occidit omnigena uenerandus laude Lutherus,
Qui Christum docuit non dubitante fide.
Ereptum deflet uero hunc Ecclesia luctu,
Cuius erat Doctor, uerius imò pater.
Occidit Israel præstans auriga Lutherus,
Quem mecum sanus lugeat omnis homo.
Nunc luctumq; suum lachrymoso carmine prodat,
Hoc etenim orbatos, flere, dolere, decet.

EPITAPHIVM FRIDERI=ci, Ducis Saxoniæ, principis Electoris &c.

Ante petet cursu Boiemica rura supino,
Vnde in Saxonicos defluit, Albis, agros.
Inclyta quam posßit meritorum fama tuorum
Occidere, in populis, Dux Friderice, tuis.
Aurea uiderunt hæ gentes secula, regni
Dum tibi Saxonici sceptra tenere datum est.
Pace frui placida campiq; urbesq; solebant,
Horrenda extimuit claßica, nulla murus.
Bella alij ferro, sed tu ratione gerebas,
Et sine ui uicti sæpè dedere manus.

Ingenio claros meruisti sæpè triumphos,
Militeq; haud ullo fixa trophæa tibi.
Et pacis studijs florere, ac artibus urbes
Contigit auspicio, Dux Friderice, tuo.
Fouisti spretas hac tempestate Camænas,
Vnicus & studijs præmia digna dabas.
Nanq; tuo sumptu flauum schola condita ad Albim
Vt uitæ uerum traderet illa modum. (est,
Hic Euangelij primum doctrina renata,
Deterso cœpit pura nitere situ.
Induit hic ueros uultus, iterumq; colorem,
Accepit tandem relligio ipsa suum.
Et cum Germani sumsissent arma Tyranni,
Contra Euangelium, sanctaq; iussa Dei.
Doctores tibi cura pios defendere soli,
Et latè Christi spargere dogma fuit.
His tibi pro meritis grata præconia uoce
Posteritas omnis, uirq; puerq; canent.
Nulla tuas unquam uirtutes nesciet ætas,
Non ius in laudes mors habet atra tuas.

ALIVD.

Hæc quicunq; uides oculo properante uiator,
Ad sacra ne pigeat sistere busta pedem.
Ille ego Fridricus Duce quo Saxonia felix,
Ardua sacratum tollit ad astra caput.
Qui, quamuis tota arderet Germania bellis,
Effeci pacem gentibus esse meis.

Et ſenio tandem longis confectus ab annis,
Hic tegor exiguo conditus in tumulo.
Virtutum laudes & famam, longa, mearum,
Poſteritas ſemper, ſit modò grata, feret.

ALIVD.

Principis hic tumulus Friderici continet oſſa,
Quem patriæ patrem fecerat eſſe Deus.
Illius ut manes fac optime Chriſte quieſcant,
Molliter inq; ſinu poſſe latere tuo.
Nam dum uita fuit, tua ſacra colebat, eratq;
Noſſe Euangelium maxima cura uiro.

EPITAPHIVM SCRIptum Illuſtriſſimo Principi D. Iohanni I. Imperij Electori, Duci Saxoniæ, Landgrauio Thuringiæ, Marggrauio Miſniæ, &c.

Tu quoq; Saxoniæ Iohannes inclytæ Princeps,
Non uirtute minor cognite fratre tuo.
Eximia Chriſtum pietate, fideq; colebas,
Vita piæ mentis teſtis eratq; tua.
Vindelicis coram tua Cæſare nuper in oris,
Aſſeruit Chriſti lingua profeſſa fidem.
Notior ut fieret diuini gloria uerbi,
Temporibus fulſit quæ rediuiua tuis.
Vtq; Euangelij ſtudium deponere uelles,
Flectere non ullæ te potuere minæ.

Ista tui incendit constantia pectoris hostes,
Attulit & passim multa pericla tibi.
Sed te difficili protexit tempore Christus,
Et gratam pacem pro pietate dedit.
Ac tua sæpè tamen moderatio profuit ingens,
Impia ne quisquam sumeret arma manu.
Hac longè superas aliorum laude triumphos,
Hæc uirtus magno Principe digna fuit.
Ergò tuum à nullo nomen delebitur æuo,
Nec meriti laus est interitura tui.
Hic tua dum Christus meliori corpora sorte,
Restituet iustis, molliter ossa cubent.
Spiritus at uiuat, molliq; fruatur honore,
Interea Christi conditus in gremio.

EPITAPHIVM BENEdicti Pauli.

Frigida in hoc tumulo Benedicti membra teguntur,
Cognomen Pauli qui patrium tenuit.
Doctor erat Iuris, uirtute ornatus & arte,
Eloquio clarus, consilio atq; fide.
Saxoniæ ducibus sententia sæpè probata est
Ipsius, & patriæ profuit ille suæ.
Iustificaq; fide quoniam te Christe colebat,
Conspectu fruitur mens modò læta Dei.

SECVNDVS.

ALIVD SCRIPTVM CLA-
riſſimo uiro D. Hieronymo
Schurff Doctori
Iuris.

Doctor erat Iuris præſtans Hieronymus arte,
Iuſticia, ingenij uiribus atq; fide.
Schurfiadum de ſtirpe ſatus, quæ clare per Alpes,
Helueticas numerat ſecula multa patrum.
Iura enarrauit luſtris bis quinq;, nec ullus
Oſtendit fontes dexteritate pari.
Conſilijs rexit fidis populosq; Ducesq;,
Lumen enim Iuris temporis huius erat.
Hunc etiam ſapiens Cæſar dignatus honore eſt
Carolus, Imperij qui modò ſceptra tenet.
Quæq; leget ueniens ætas monumenta reliquit,
Multorum ſtudijs proderit iſte labor.
Iuſticiæ eſſe Deum fontem quia nouerat ipſum,
Vt rectè noſſet maxima cura fuit.
Iuſtificaq; fide capiens tua munera Chriſte,
Solius eſt cuius parta cruore ſalus.
Vera luce Deum agnouit, precibusq; uocauit,
Et rectæ fidei congrua uita fuit.
Ipſius hoc tumulo requieſcunt molliter oſſa,
Viuit, conſpectu mens fruiturq; Dei.

EPITAPHIVM SCRI-
H 5 ptum

ptum coniugi Integerrimi uiri Fride-
rici Bernpeckij.

Hoc tumulo caſtæ matronæ condidit Annæ
Fridricus Bernpeck coniugis oſſa ſuæ.
Cui nouiſſe Deum, & cœleſtia diſcere dicta,
Et parere ipſis maxima cura fuit.
Iuſtificaq; fide coluit te Chriſte Redemptor,
Exemplum mores & pietatis erant.
Mens igitur patriæ fruitur cœleſtis honore,
Hoc tantum tegitur corpus inane ſolo.

ALIVD PAVLI EBERI.

Hoc poſuit tumulo Fridericus mæſtus & æger,
Fridricus Bernpeck coniugis oſſa ſuæ.
Annæ, quæ fuit egregijs uirtutibus aucta,
In quibus enituit cura pudicitiæ.
Et ſtudium ex uerbo cœleſti agnoſcere Chriſtum,
Quem precibus coluit, iuſtificaq; fide.
Huic in morte animam commendans læta migrauit,
Spe reuocaturæ corpora noſtra tubæ.

IN IMAGINEM REVE-
rendi uiri Doctoris Iohannis Bu-
genhagij Pomerani.

Coniugis ut ſenio confecti corpus aquatum,
Ipſa ſuis humeris Halcyo grata gerit:

Sic

Sic bene promeritum Doctorem Eccleſia curet,
Et leuet ætatis pondera dura ſeni.
Sic tua Canities Doctor Pomerane, fidesq;
Sincera eſt cunctis iam ueneranda pijs.
Qui procul externis ſparſiſti fidus in oris
Pura Euangelij ſemina, uoce tua.
Ac ceu Baptiſtes Agnum monſtrare ſolebat,
Æterno Chriſtum de genitore ſatum.
Tu quoq; iuſtifica docuiſti agnoſcere Chriſtum,
Æterniq; Patris ſumere dona, fide.
Fictiliumq; alias formas tua lingua Deorum
Euertit, Papæ quas uoluere coli.
Et uelut in ſcopulis celſos locat Halcyo nidos,
Hiberni circum quos fremit unda maris.
Sic medio in Pelago felix iam Dania nidos
Extruxit Chriſto, te fabricante, pios.
Te Deus hos inter texit iuuitq; labores,
Nunc uita functus uiuis in arce poli.

IN IMAGINEM ILLVSTRISSIMI Principis ac Domini, Domini Georgij, Principis in Anhalt & Aſcania, &c.

Aſcaniæ ſtirpis uirtus eſt clara triumphis,
Ordine quos numerant ſecula longa patrum.
Cæſar in Adriaco cùm geßit littore bellum,
Et fregit Venetas Maxmilianus opes.

Dux

Dux erat Aſcania natus de ſtirpe Rodolphus,
Fixit, & in Veneto multa trophæa ſolo.
Nunc ad maiorem decora, hæc laus magna Georgi
Accedit uerè principe digna uiro.
Quòd ſic doctrinam reliquis uirtutibus addis,
Vt uerum celebres pectore & ore Deum.
Et Chriſti illuſtres ingentia munera ſcriptis,
Iuſtifica ſupplex quæ capis ipſe fide.
Exemploq; Eſdræ populum dum iurè gubernas,
Doctrinæ ſpargis ſemina pura ſimul.
Summe Deus ſolus qui das felicia regna,
Aſcanios fratres, Te precor, ipſe regas.

IN IMAGINEM ILLVſtriſſimi principis Mauricij Ducis Saxoniæ, Electoris, Landgrauij Thuringiæ &c.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ ualuere ruunt.
Vt perit in primo Pelides flore iuuentæ,
Pyrrhus & hoc ipſo de genitore ſatus.
Ac Aſiæ domitor Macedum de ſtirpe creatus,
Et qui Burgundas Carolus auxit opes:
Sic iam Mauricium nimium properantia fata,
Saxoniæ terris eripuere Ducem.
Qui Gallos, Turcosq; feros uirtute repreſſit,
Militiæ præſtans artibus atq; togæ.

Hic

Hic modò cum patriam iuſtis defenderet armis,
Fudiſſetq; hoſtes auxiliante Deo.
Fraude globus miſſus uictorem uulnerat, inde
Poſt pugnam uitæ non mora longa fuit.
Commendans animam ſed Chriſto, exordia uitæ
Hauſit cœleſtis non dubitante fide.
Eſt fragilis natura hominum, ſed reddere uitæ
Gaudia uult Chriſtus non moritura pijs.

IN IMAGINEM REuerendi uiri Iohannis Aepini Doctoris Theologiæ.

Hæc eſt Æpini Doctoris imago Iohannis,
Qui docuit caſtè dogmata pura Dei.
Saxonicoq; pios cœtus in littore rexit,
Fulſit & exemplis integra uita bonis.
Vrbis ubi Hamburgæ ſtant ardua mænia claræ,
Maſſyliæ ueteris quæ decus omne tenet.
Et ſuperat meliore bono, quòd præbet honeſtum
Et fidum hoſpitium maxime Chriſte tibi.
Inde etiam Æpinus uigilans & pectore firmo,
Errorum fucos depulit atq; dolos.
Ergò Deo grates tanto pro munere dico,
Vtq; regat ſemper pectora noſtra peto.
Et faciat ſemper nos unum ut ſimus in ipſo.
Æterni gnatus quod petit ipſe patris.

EPI-

LIBER

EPIGRAMMA IN Homerum.

Nocturna uersate manu, uersate diurna,
Mæonij Iuuenes utile uatis opus.
Humanæ ſpeculum uitæ quod dicitur, in quo
Affectus populi cernitis atq; Ducum.
Quodq; ſimul monſtrat quæ ſint diſcrimina morum,
Quæ Lex diſtinxit non uiolanda Dei.
Quæ deceant homines, habeant quæ facta ſecundos
Euentus, iuſtè cuncta regenda Deo.
Et quæ ſint ſumma cura, ſtudioq; cauenda,
Quæ ſequitur læſi uindicis ira Dei.
Ne dubita, ſemper delicta atrocia pœnas,
Et ſubitas clades poſt mala facta ſequi.
Hanc quicunq; legit doctrinam transferat arte
Ad ſeſe, ut mores hinc regat ipſe ſuos.
Ciuilis uitæ normam uiditq; docetq;,
Quanquam oculis ſenior captus Homerus erat.
Ah utinam hæ Muſæ canerent non numina falſa,
Vnum ſed patrem maxime Chriſte tuum.

ALIVD DE LECTIONE Homeri.

Vera eſt fama bonos agitari numine Vates,
Nam Deus illorum pectora caſta mouet.
Virtutis præcepta canunt, at uatibus autor
Tradidit in terris illa docenda Deus.

Largaq;

Largaq̃; cum cœlo ueniat facundia, rurſus
Eloquij uires altera dona dedit.
Eſt igitur pietas quædam cognoſcere Homerum,
Cùm bona de ſuperum munera ſede ferat.

ALIVD.

In ludum quidam gnatum ducitq̃;, iubetq̃;
Vt uitæ melius diſcere tentet iter.
Et primis pater ingenium puerile ſub annis,
Et rude dum pectus recta docere parat.
Qua, puero forc ducat opus, re ſorte magiſtrum
Quærit, at ille opus eſt mente ait atq̃; ſtylo.

Hoc carmen recitatum eſt, cum crearentur Doctores Medicinæ.

Nos quoq̃; pœonias pueri laudabimus artes,
Quæ triſtem à nobis poſſunt arcere ſenectam,
Noſtris ipſe choris inuentor gaudet Apollo,
Victori pueri gratum Pæana canebant,
Cum Delo ueniens ſtrauit Pythona ſagittis,
Ardet opes alius Cræſi, miratur arenas
Quas pactole uehis, ſtudioq̃; ſeneſcit habendi,
Et miſero cenſus augendi pallet amore,
Regum ſceptra alij laudant, faſcesq̃; ſuperbos,
Infidæq̃; iuuant miſeros ſuffragia plebis,
Et leuis ambitio, perfuſaq̃; gloria fuco,
Sunt etiam uentris qui tantum gaudia norunt.

Denicꝫ

Deniq; *mortales non uno errore tenentur,*
Felix ille mihi, *bona qui meliora ſequutus*
Obſcuras *rerum cauſas, uiresq́; latentes,*
Cœleſtes *ignes, & conſcia ſidera fati,*
Quæq; *parit tellus rerum miracula cernit,*
Æternumq́; *decus uirtutis nouit, opesq́;*
Extra *fortunæ poſitas temeraria iura,*
Quiq; *rudes hominum mentes, & pectora mulcet,*
Ingenio, *uitæq́; modum præſcribit, & artes,*
Et *morbos ratione fugans, infirma tuetur*
Corpora, *dum uitæ fugienti prorogat annos,*
Ille *mihi ſolus dicetur iure beatus.*
Hûc *agite hanc palmam iuuenes certate parare,*
Aſſerite *has utraq; manu non ſegniter artes,*
Ιητρος γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

IN OFFICIA
Ciceronis.

Otia *dum faciunt diuum ſolennia nobis,*
Dum pueros nucibus ludere fortè iuuat.
Aut *cum mobilibus talis ſibi quiſq; parare,*
Inter conuiuas aurea regna ſtudet.
Quæſo *aliquem, nobis oci concedite partem,*
Et *uacui fructum temporis ipſe feram.*
Exiguum *uobis Tulli propono libellum,*
Delitias uoluit, quem pueri eſſe pater.

Præmia

Præmia uirtutis demonſtrat neſcia mortis,
Et uocat ad uerum Tullius ipſe decus.
Eloquioq; rudem linguam bonus imbuat autor,
Quo patriam, ciues quo tueare tuos.
Ergo paulisper Genium fraudate, breuemq;
Si ſapitis Tulli diſcite quæſo librum.

DE DVABVS THE-cis Simonidis.

Omnia ſunt ingrata, nihil feciſſe benigne eſt,
Debita pro meritis gratia nulla redit.
Simonides binas ponebat in ædibus arcas,
Ledeis charus fratribus ille ſenex.
Hanc, unde officium facilis promebat egenti,
Et tempeſtiua fortè iuuabat ope.
Quam, poſtquam multa effudit, noua copia rerum
Accumulata diu, non uacuam eſſe ſinit.
Altera facta fuit ſi gratia fortè rediret,
Munera quæ grati conderet arca uiri.
Sed nihil huc quiſquã intulit, arcaq; ſemper inanis,
Officia, inditio, cuncta perire, fuit.
Simonides Thecam monſtrabat utranq;, laborem
Æraue ſi peteret, mutua ferre aliquis.
Et teſtatus opes ſe plena effundere Theca,
Pro meritis monuit præmia nulla dari.

IN HORTVM Ionæ.

Huic horto cedet Lipſenſis iure picena,
Carmine quam Ruſcus nobilitate ſtudet.
Hic grauidam pomis ficum, lentasq; cupreſſos,
Purpureas uiolas, aurea mala parit.
Cætera quid referam, largas natura benignè
Ruris opes horto, diuitiasq; dedit.
Et uates colit hunc herus, inuitatq; frequenter,
E medio doctas huc Helicone Deas.
Hic uidi Muſas pro Carmine texere ſerta,
Præmia uictori digna Iochime tibi.
Hic uidi lætas plauſu uultuq; canenti,
Mycillo Aonias ſæpè fauere deas.
Socraticisq; iocis hic Micale ſeria condis,
Exacuuntq; ſales, pectora noſtra, tui.
Sic fama eſt luſiſſe ſenem, cum fortè ſub umbram,
Defeſſum platani phædre ſecutus eras.
Hic tua conuiuas facundia Caſpare paſcit,
Dijs etiam eſt ipſis nectare grata magis.
Cum celebrent hortum uernantem talia lonæ,
Lipſica quid laudas prædia Ruſce mihi.

AD PINVM.

Cum noua cœpiſti contexere carmina Pine,
Quis mihi phœbus ait Marſia rure ſtrepit.
Anne iterum ſtultus uocat in certamina Diuos,
Quisquis es exuta pœna luenda cute eſt.

AD IANVM.

In cœna conuiua mihi doctißime Iane,
De Symphoniacis unus & alter erit.
Quiq; χέλυ digitis argutis ludat, adeſſe
Ad noſtras epulas Iane rogandus erit.
Non hunc crede mihi qui Martis furta canebat,
Inter phæacas uicerit ille ſenex.
Carmine ſi triſtes animi depellere curas,
Viribus & feßis otia parua paras.
Huc ades ultro bonis conuiuia adire bonorum
Mos eſt, at rogitant te modo Iane boni.

AD IONAM.

Perge mihi Latio ſermone exponere Iona,
Cecropidum in medio crimina dicta foro.
Et quibus inſontem Demoſthena proſcidit hoſtis,
Auſonia nobis iurgia uoce refer.
Non ignaua decent generoſas ocia mentes,
Virtutemq; acer durat, alitq; labor.
Ergo operas ſtudijs ſocias adiungito noſtris,
Atq; aliquam partem uiribus adde meis.

AD EVNDEM.

Adfertur digitis noſtris tibi Epiſtola ſcripta,
Quam iuueni miſit Thais amica ſuo.
Iſta lege tamen capies ſuauiſſime Iona,
Vt Latia facias Thaida uoce loqui.

Fortè nefas ducis cum ſcorto ludere Iona,
Caſta quia in templis ſacra docere ſoles.
Crede mihi, illa gregem cum pinxit docta Lycei,
De paruis atomis quæ impia bella mouet.
Perſtrinxit fucata etiam pietate magiſtros,
Turpe quibus faciunt uendita ſacra lucrum.

AD VVALLORHODVM.

Si mecum VValorhode ruſticari
Et ſecedere in oppidum propinquum,
Languentemq; animum excitare ludo
Paulum ponere ſeriasq; curas,
Et concedere ferias Cepollæ
Et triſtem libet explicare frontem,
Huc noſtras properè uenito ad ædes.
Expectant comites amica turba,
Votisq; omnibus aduolare te orant.
Accurras igitur, ſimulq; tecum
Tantum quæſo feras facetiarum,
Quantum Bartolus atq; Baldus, illi
Inſulſi illepidi tui magiſtri
Nugarum omnibus ædidere libris.
Tantum Mercurius ciere riſus
Non poßit charitesq; blandiores,
Quantum tu poteris mouere riſus.

SECVNDVS.

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ IN DISCESSVM Iohannis Reiffenstein.

Sic det CHRISTVS *iter tibi ſecundum,*
Et fauſtum in patriam, tibiq; donet
Fratres incolumi uidere ſaluos,
Fratres, qui tibi Iane chariores
Ipſis ſunt oculis tuis, uiciſſim
Qui te plus adamant ſuis ocellis
Vt gratum eſt, mihi Iane quod dediſti
Diſcedens Xenion, nouum libellum,
Teſtis ſtabit amoris ille noſtri,
Inter præcipuos meos libellos,
Auratisq; ſuperbus umbilicis
Oſtendet titulos tuos, mihiq;
Abſentem referet ſubinde amicum,
Et Iani meminiſſe me iubebit.
Vt ſi marmora, ſiue penicillo
Depictæ tabulæ tua ora ſeruent
Iam Mnemoſynon mei perenne,
Adſeruabitur hic mihi libellus.

AD SPALATINVM.

Noſtris Cordus in ædibus poëta
Prandebit modò, gratius ſed illi

Hoc existimo prandium futurum,
Si tu peruetus utriusq; amicus
Cordi scilicet & tui Philippi,
Conuiua adfueris, uocant sodales
Te, quamuis humilesq; pauperesq;.
At quorum tibi candor est probatus.
Non nuper Spalatine cognitusq̄;
Codrus forsitan esse corde posses.
Irus forsitan & Philippus esse
Posset, sed faciles utrumq; Musæ
Secernunt stolido eximuntq; uulgo.

AD IONAM.

Cœnam negligere est piaculare
Sed qualem dare Apitius solebat.
Verum nos tenuem modò paramus,
Qualem uel Samius senex probasset,
Græcos ille docebat esurire,
O non Theologis bonum magistrum.
Huc ad tale ego prandium uocaui
Francæ lumina gentis, huc uocamus
Ad notos, ueteresq; te sodales,
Atq; hac lege uenire te iubemus,
Si non hæc tibi parca mensa sordet.

IN HESIODVM.

Ascræi senis optimi poëtæ
Vobis cras ego carmen auspicabor,

Cui non præferat aureas arenas
Quas uoluit Tagus, aut opes Sabæis
Quantas nigri Arabes legunt in agris.
Qui uirtutis amat, colitq; laudem,
Et mores uolet aureos parare,
Naturæq; uices uidere miras.
Paruo quas docet in libro poëta,
Græcis quem ædidit Aſcra rure paruo.

IN LVSCINIVM PROſcindentem mortuum Huttenum.

Cum laceras miſeros crudeli carmine manes,
Nomen erit uultur, non Philomela tibi.

ALIVD.

Sis miſer & nulli miſerabilis omnia quiſquis,
A Dijs pro merito cuiq; uenire putas.

AD GVILIELMVM Neſenum.

Hunc etiam calamum tibi docte Neſene Philippus,
Sinceræ mittit pignus amicitiæ.
Non tamen hic ſeſe confert cum munere Eraſmi,
Sed calamo longè cedit Eraſmiaco.
Frigida Cenoſo tulit hunc Saxonia ſtagno,
In Nili ripis æditus ille fuit.

Lethæum excuſsit mundo tandem ille Veternum,
Pingebat Domini cum monumenta ſui.
Aurea Mercurij non tantum uirga meretur,
Illa ſibi quantum laudis arundo feret.
Hos tantum uerſus mea pinxit arundo, placere
Quantum ipſos uerſus, hanc etiam opto tibi.

AD IONAM.

Scribere me tantũ Crato Blanda Epigrãmata iuſsit,
Cecropio, quæ ſint dulcia mella meis.
Qualibus aut teneram iuuenis permulcet amicam,
Aut puero ad cunas qualia cantat anus.
Qualia uel fatuo uendit Gnatho dicta Thraſoni,
In ſcena riſum cum ciet atq; iocos.
Et uetuit ſale ſeu mordaci tingere aceto,
Lecturi irritent quæ illiciantq; gulam.
Optime Iona cupis cauſam cognoſcere, nulla eſt
Illius in toto corpore mica ſalis.

AD REGEM.

Cætera turba ſuo pro carmine munera poſcit,
Et gratis uerſus condere nemo ſolet.
Non ego pro ſtudio mercedem ferre laboro,
Virtutem precium nam decet eſſe ſui.

ALIVD.

Cum te uerſibus ornat iſte cœtus,
Atq; auro meliora dona mittit,

Et quæ

Et quæ non ebur, optimæq; gemmæ
Indorum ſuperent, tibi ſodales
Optant officium ſuum probari,
Et te Pierias amare Muſas,
Quæ uirtutis iter ſolent docere,
Princeps optime commonent frequentes.

ALIVD.

Tum mihi regis eris ſceptris & nomine dignus,
Et phœbo ſacrum qui moderere gregem.
Cum uinces cœtum puerorum, aliosq; ſodales,
Pectoris æternis ingenijq; bonis.
Irrita tum fient & ſpes, & uota bonorum,
Cum potior Muſis rex tibi luxus erit,

ALIVD.

Multos iubebant Perſæ regibus oculos
Adeſſe, monentiumq; turbam maximam.
Pro te ergò rex fideles omnium excubant
Oculi, officij qui te admonent uerſu tui.
Horum monitis curabis ut reſpondeas.

ALIVD.

Si quiſquam neget eſſe me poëtam,
Paucos quod faciam, breuesq; uerſus.
Is iam non populi leues amare
Me plauſus ſciat, at mihi bonisq;

Muſis me canere, & ſtudere tantum
Noſtri principis auribus placere.

Præmeditatè loquendum.

Hermogenes uoluit laudari dicere multa,
Quod ſubitò poſſet non meditata prius.
Atticus orator ſed contra turpe putabat,
Dicere apud ciues non meditata diu.
Sculpta, inquit, potius recitarem nam modò ſcripta,
Cauſa moram ferret ſi peragenda reo.
Ah utinam ſapiens placeat contatio multis,
Fundat & ad gnatum uotaq; caſta Dei.

IN BATPAXOMYOMAXIAN HOMERI.

Mus breuis & ſaliens in gurgite Rana paluſtri,
Dum nulla cauſa prælia ſtulta cient.
Fulmineo pugnas Iouis ira fragore diremit,
Et tandem fugiens agmen utrumq; perit.
Sic modò dira ſerunt ex bellis bella Tyranni,
Nec res, ſed cæcos armat utrinq; furor.
Peſtiferiq; magis Thebana Sphinge Sophiſtæ
Verba uenenato friuola felle linunt.
Aſpicit hæc uindex oculis Deus omnia iuſtis,
Nec graue cum ſpargit fulmen, inermis erit.
Gnate Dei bonitate tua mala tanta leuato,
Et ſerues cœtus Chriſte regasq; pios.

SECVNDVS.

Distichon.

Iusta Dei fontes affligit uindicis ira
Ne dubita, ueniet tempore pœna breui.

PHILIPPVS MELANthon Iulio Pflugk.

Fortè equites Mysi quendam celebrant hymenæum,
Atq; agitant conuiuia læti, & pocula certant
More peregrino Thracum siccare uicissim,
Me miserum, ipsa sua germana modestia sede
Exulat, & luxus uirtutem eiecit auitam.
Hic ubi conuiuas inter doctissime Iuli,
Agnoui Iuuenem, uestro cognomine, clarum,
Inclyta fama tuæ uirtutis cogit, ut illum
Compellem, contra me ignotum tractat, habetq;
Comiter, & mecum sermones miscuit, estq;
De studijs Iulij longissima mentio facta.
O te felicem talem cum fata dederunt
Mentem, quæ uulgi damnosis libera curis.
Vera sequi certet bona, non obnoxia morti.
Cætera turba homines non uno errore tenentur.
Nam plæriq; gulæ sectantur commoda, & ipsam
Vincere contendunt Sybarim, pars pallet amore
Accumulandi auri, studioq; senescit habendi.
Ambitioq; capit multos, fascesq; superbi,
Et leue fallacis uulgi studiumq;, fauorq;,

Hæc

Hæc quoq; me, niſi Iuli probas, inſania cœpit
Flacci more boni, tenues deducere uerſus:
Sic etiam cygnos imitabere corue canoros.
Tu uitæ melius cœpiſti iter ingredi Iuli,
Palladijs natas artes dum ſolus Athenis
Atq; auctus ueteri latio in patrium inuehis orbem
Virtutisq; uiam, legesq; oſtendere pergis.
Macte animo iuuenis, cœptosq; urgere labores
Ne deſiſte, dabit curarum præmia digna
Poſteritas melior, iuſtosq; rependet honores.
Nos patiare, pio te carmine dicimus atq;
Eſſe tui gregis optamus pars optime Iuli.

AD AMICVM.

Nulla uenus, nulli ſunt noſtro in carmine amores,
Quam uereor ne ſit uerè ibi nulla Venus.

IOHANNI ISLEBEN S.

Optime quam præſens malebam Iane ſalutem
Non falſa uobis dicere uoce modò.
Hinc elegis ego ferre dedi, iußiq; precari,
Vt ſeruet Chriſtus teq; tuamq; domum.
Auſpicijsq; ſcholæ faueat, ueſtrosq; labores
Prouehat, atq; ſuo numine cæpta iuuet.
Inſerat & pueris pulchræ uirtutis amorem,
Quos commendauit patria chara tibi.

Si quid

Si quid agam rogitas, uiuo, sed lenta grauedo,
Non patitur uires corpus habere suas.
Ipse tamen quæro longo solatia morbo,
Assiduumq; leuo qua licet arte malum.
Dumq; suos alius census, aurumq; repostum,
Sollicitis tacitus computat articulis.
Dumq; agitant alij multo conuiuia Baccho,
Et tali cogunt ad numerum bibere.
Fallo domi paruos inter mala tædia amicos,
Et pueros inter, carmine, Iane, meos.
Et quoties fidos celebrat mea Musa sodales,
In nostro partem carmine Ianus habet.
Plura ego non potui iam scribere, uiue ualeq;
Teq; precor uatem Christe tuere tuum.

AD IONAM.

Carmina es ausus heri nobis promittere Iona,
Qualia, si rumpat se Gera nulla facit.
Sed quæ uel lepidum deceat lusisse Tibullum,
Quæue sibi Statius uindicet ille tuus.
Falle, licet cœnam quoties condixeris, isti
Delitiæ stomacho conueniunt Siculæ.
Et mea mensa salem tantum, siccumq; cuminum
Proponit, noster quodq; olus hortus habet.
Carmina non liceat promissa negare sodali,
Nanq; decet uates candida crede fides.

IOHANNI REIFFENSTEIN.

Promis-

Promissa est à te nobis oratio, Iane,
Quæ mercatores uindicet ausa reos.
Regia crede mihi res est defendere, si cui
Non ipsum crimen, sed nocet inuidia.
Et tegere, & seruare bonos facundia debet,
Præsidium uirtus scilicet istud habet.
Quare age tandem ausis, et sanctam suscipe causam,
Irrita ne fallant nos tua dicta modo.
Conscissam ne uides tragico crudeliter ore,
Qualia de plaustris Attica turba sonat.
Tu, bene dicendo conuitia uincere laus est
Triste nihil meritam, uoce tuere pia.
Hanc tibi Mæonides diuino carmine laudat,
Cum ferrum, Temesen, ipsa Minerua uehit.
Ascreiq; senis celebrant oracula, cantat
Socratis in gremio qui recubabat olor.
Aude igitur spretamq; pijs ulciscitor armis,
Materia ingenio conuenit ista tuo.
Ἀλκιμος ἐσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων ἐῦ εἴπῃ,
Hæc tib Mæonides classica, Iane canit.

AD IONAM.

Si uacat exiguum percurras Iona libellum,
Non longe usuram temporis ille feret.
Non mea mercato uiciata oratio fuco est,
Spectariq; suo nuda colore cupit.
Pars est hæc laudis quædam, me iudice, Nanq;
Si qua nihil facies Iona olet, hæc bene olet.

Sed si

Sed ſi noſtra tibi ſordent, formamq; requiris,
Quæ nitet externo, luxuriatq; habitu.
Et legere iſta piget, librum mihi quæſo remitte,
Quærendus lector cui placeamus erit.

EPITAPHIVM CLEopes Vogleræ.

Frigida in hoc tumulo Mariæ ſunt oſſa ſepulta,
Quæ iuncto Cleope nomine dicta fuit.
Digna quidem hoc titulo, quo mores ipſa profeſſa
Exemplo Cleopes congrua uita fuit. (eſt,
Supplicium quandò pro nobis Chriſtus obiuit,
Sanguine ut ablueret crimina noſtra ſuo.
Tunc Cleope mæſtam comitari eſt auſa ſororem,
Vicit enim pietas uera, fideſq; metum.
Et miſſum hoc cœlo teſtata eſt eſſe magiſtrum,
Seq; eius toto pectore dogma ſequi.
Sic Cleope nuper tumulo quæ conditur iſto,
Eſt Euangelium mente profeſſa ſua.
Nec metuit rabiem, et petulantia probra malorum,
Qui ſpernunt leges optime Chriſte tuas.
Addidit & caſtos ſemper ſine crimine mores,
Eſſet ut exemplum uita pudica bonis.
Vtq; olim Cleope ſolita eſt ſeruire ſorori,
Officijs inopes fouet & ipſa pijs.
Ergo uirtutis cultor Voglere Georgi,
Te tali orbatum coniuge iure doles.

Quæ forma, ingenio, morum grauitate placebat,
Flagrabat cuius pectus amore tui.
Quæq; Deum tecum concordi mente uocabat.
Hæc uincla æterni fœderis esse solent.
Certa sed hunc, animo minuant solatia luctum,
Quæ monstrat nobis Filius ipse Dei.
Iam Patris æterni faciem secura tuetur,
Præmiaq; accepit pro pietate sua.
Matronasq; inter Cleopæ sociata priori,
Colloquio Christi iam solet illa frui.
Hic iam nunc oculis absentem, animoq; requiris,
Vxor in amplexus est reditura tuos.
Sermonesq; iterum dulces miscebitis unà,
Cœlestisq; eritis pars quotacunq; scholæ.
Hic arcana Deus quæ nunc mens anxia quærit,
In clara uobis luce uidenda dabit:
Interea donec renouabit corpora Christus,
Tecta leui terra molliter ossa cubent:

EPIGRAMMA.

Caseolos mihi pulchra Venus donabat edendos,
Sedula quos digitis presserat ipsa suis.
Et bene fragrantes quibus intersperserat herbas,
Intyba Samsenum, Cirsion atq; rosas.
Et quos Ambrosia dulci, uinoq; rigarat,
Nec desit succi copia larga boni.
Hei mihi cur tantæ non uti munere diuæ,
Difficilis medici me noua cura sinit.

Hos

Hos mihi qui toties ferales dicit epodas
Caseolos ueneris dira uenena putes.

PROLOGVS IN MILITEM Plauti.

Deserta scena & muta aliquandiu stetit,
Salesq; refrixerant, & comici ioci.
Cum barbari obruissent tenebris literas,
Sed hæ postquam caput erigunt comædiæ,
Fauete quæso in lucem ut unà prodeat,
Præstare id æquum est, uos quibus ipsæ literæ
Ingens decus peperere, Nec commitere
Audax ut inceptum ac nouum fraudi siet
Nobis, amor quos literarum perpulit,
Renouare priscum morem, & hoc spectaculo
Ludos facere, hæc ut studia, & ætas postulant.
Illamq; uos decet fauore prosequi.
Audite nunc in qua uelimus fabula
Facere actionis hoc loco periculum
Germana Plauti est quam modò exhibebimus,
Cuius ferebant ore facundissimo
Musas fuisse libenter usuras, probè
Si quando decressent latine dicere,
Nomenq; fecit glorioſum militem
Poëta fabulæ, argumentum ex seruulo
Intelligetis, ille sumpsit hoc sibi
Vt narret ipse, nam crepitaculum est merum

Quod non molesti bis sumus, mihi gratiam
Debetis, ultrò qui loquaci seruulo
Cessi. Sed ecce militem delegimus,
Vt in hoc iuuentus nostra inspiciat sedulò
Exemplum, & intueatur hic imaginem
Perinde ac in tabella adumbratam suam.
Nec lac enim lacti, nec ouo est ouum magis
Simile huic inepto milite, quàm sunt modò.
Qui cum meliores literas fastidiunt
Rerum omnium tamen scientiam sibi
Audacter arrogant, & inter pocula
In compitisq; uenditant suum σόφος,
Vulgus prophanum & improbum, atq; futile
Thrasones atq; pyrgopolinices meri
Dignissimi quis latera fiant lorea.
Sed eccum militem, fauete actoribus
Et date iuuentuti crescendi copiam.

PROLOGVS IN ANDRIAM Terentij.

Vestræ periclum fecimus patientiæ
Cum nuper in scena exhibuimus militem,
Animosq; nobis addidit uester fauor,
Vt non patiamur scenam consilescere,
Sed ne mirere. Quid pompæ Theologicæ
Cum comicis iocis, meræ sunt fabulæ
In pulpitis quas agebant hodie Theologi,

Et chi=

Et chirothecæ & annuli sunt fabulæ
Nomen Magistri nostri planè fabulæ,
Postremò qui condixit operam huius gregis
Theologus est, suoq; iussit fabulam
Prolixior ut risus foret præscripto agi,
Vt ut placebimus, imputari uult sibi,
Adfertur huc Terentiana fabula.
Cui autor ipse nomen fecit Andriam,
Fauete bellus in medium prodit senex.

Alius prologus in Andriam Terentij.

Dij, quotquot estis spectatores, uos ament
Et dent quæ uultis, quæq; uelle uos decet
Conductum uenio aures uestras, linguam, & oculos
Aures, oculiq; ut pateant, ut lingua taceat,
Qui immites sunt & asperi & intractabiles,
Hoc fructus capiunt, nemo ipsis oneri ut siet.
Nam quos admittunt, reijciunt si non placent.
Qui commodi sunt plus habent molestiæ,
Nam omnes admittunt, nemimemq; reijciunt,
Ita abutimur nunc uestra beneuolentia,
Quia nuper pulchrè iuuit nos uester fauor,
Quandò optimam spectastis agentes fabulam,
Sic ut animus tum accederet impudentiæ,
Sed inepti, uendicamus qui hoc nobis, sumus.
Nam haud actioni, sed poëtæ est hoc datum,

Qui sic superat cunctos, ut neminem habeat
Secundum, tantò is comicis est præ omnibus
Neq; quicquam ego illum nunc moror Volcatium,
Quisquis is est, qui longè post alios hunc locat,
Vt uix in sexto faciat reliquos consequi,
Vt habetur, sic quoq; primus est meritissimo.
Quòd uos & scitis, & testes estis mihi.
Præsentia qui uestra ornatis tam malos
Actores iam præsente, tum quoq; fabulas
Huius pueris proponitis, & sedulò
Inculcatis uestris lepidas & bonas.
Vnde nihil periculi instat sanctimoniæ,
Nec sunt qui mores corrumpant sales,
Nec est delectu uelut in Plautinis opus,
Hic omnes castæ sunt, omnes utiles,
Sermo uenustus, elegans, purus, grauis,
Vt puerorum decet pabula esse primulum,
Quibus mentes alantur ab incunabulis,
Honestatem ut præ cunctis penitus induant,
Mundeq̃; dicant, & loquantur splendidè,
Vtriusq; ex isthoc naturam sibi facient.
Proinde uos quod ultrò cœpistis, date
Operam, beneuolentia nos ut excitet,
Iuuentutemq̃; totam literariam.
Sic uos Dij multis augeant honoribus,
Et perpetuis felices condecorent bonis.
Nunc quam acturi sumus Terentij fabulam
Ordine prima est, autor nomen dedit Andriæ,

Cuius

SECVNDVS.

Cuius ne diu uos detineam, cognoſcite
Vetus argumentum Verſibus paucißimis.

Alius in Eandem.

Comica debetur meritò tibi palma Terenti,
Tanta etiam paruis gratia rebus inest.

PROLOGVS IN Eunuchum.

Saluere iubeo ſpectatores optimos,
Qui ſcenæ ornandæ confluxere gratia,
Fauore noſtra ſtudia ut excitent ſuo,
Artesq; honeſtas, & benignè prouehant,
Autoritateq; ut tueantur hunc gregem,
Qui ſcenicos ludos induſtria ſua
Inſtruxit hac in urbe primus, ut iocis
Salibusq; perſonent hæc pulpita Atticis,
Et barbaros plorare iußit, fabulas
Efferre qui uetabant in proſcenium,
Quæ cultiores iuuenum mores redderent,
Terentianam agemus Eunuchum modò,
Quæ fabulas latinas uincit cæteras
Sermonis elegantia, & facetijs,
Vel ipſe quas Momus miretur, ac probet,
Illoq; ſentiat tinctas ſale, quo ſatam
Amorum & illecebrarum matrem omnium
Venerem ferunt. Sed corrugare tetricos

Quosdam uidetis nares, immodestiæ,
Hi nos accusant in Theatrum quod iocos
Proferre liberiores paulò ausi sumus.
Moresq; criminantur uiciari bonos
Parum seueris dictis, atq; lusibus.
Sed ò censores asperos, & pergraues,
Qui quod reprehendunt in Theatro ludunt domi,
Et Curios simulant, uiuunt Bacchanalia,
Ludunt poëtæ, At lusus illi seria
Ducunt, simulq; morum tradunt optima
Vitæ præcepta, ut nihil melius Solon,
Aut sanctius tabulis inscripserit æneis.
Sed asperam tamen uirtutem condiunt
Iucundioribus illecebris, ut solent
Medici, daturi pueris tetra absynthia
Cum melle dulci, & saccaro irritant gulam.
Facessant ergo iniqui iudices hinc procul,
Vt æquioribus spectandi dent locum,
Nos publici nostriq; causa commodi,
Terentianam agemus Eunuchum modò.
Qua barbaram Thrasonis arrogantiam,
Fastumq; inanem deridet, hic est cernere
Perinde ut in speculo ardelionum imaginem,
Qui caudices, fungiq; cum meri sient,
Primas tamen sibi rerum uendicant.
Prouentus huius generis est ubiq; uberrimus
Hoc seculo, cum se titulo sapientiæ,
Musarum ubiq; uenditant, hostes feri

Prophana, diuinaq; miſcent omnia.
Vos ergo fauete ſpectatores optimi,
Adfertur utilis & iucunda fabula.

PROLOGVS IN Adelphos.

Saluere primum ſpectatores optimos
Iubeo, bonas artes qui facitis maximi,
Quæ uos uiciſſim multis condecorant bonis.
Deinde magnopere oro, quamobrem aſtiti,
Patienter audiatis, uos ego iudices
Facio, improbari factum noſtrum oporteat,
Quod commodorum publicorum gratia,
Communiumq; cauſa rerum cæpimus,
An potius approbarier cognoſcite,
Qui iactitant maleuoli nos corrumpere
Bonos, per hos ludos, mores, & fabulas
Officere prædicant qui ſanctimoniæ,
His cur reſpondeam nihil operæprecium eſt.
Nam ipſi uidetis quàm delirent improbè,
Sed qui reprehendunt alio conatus modo
Noſtros, & indicant uoces per barbaras,
Et per pronunciationem ruſticam,
Lepidos iocos à nobis deprauarier,
Veneremq; ſcenicam contaminarier,
Eos rogamus uobis hic præſentibus,
Malè nos quod facimus, ipſi faciant rectius,

Superentq; nostrum hac in re scilicet gregem,
Aut si melius, ne ipsi sciunt quidem, sinant
Tolerabili nos principio interim utier,
Rebusq; in arduis uoluisse sit satis.
Quod si quis ad ueterem rationem hæc exigit,
Nec esse conandum putat, quod non queas
Præstare, quæso uos, cur quicquam discimus
Rerum omnium, cum uincat longè antiquitas,
Nosq; ueniamus nunquam quo contendimus,
At si meretur laudem multò maximam,
Qui ut excolat linguam dedit operam suam,
Seu græca, seu latina discere placuit,
Nec consecutus tamen est quod præstituerat.
Si nemo duci uitio oportere autumat
(Quod institutum summa laude nuper est)
Declamitare, materiamq; dicere
In publico, nec esse spes tamen potest,
Ita ut deceret facere, quod omnium
Est calculis probatum, cuius pulcher est
Conatus, inueniuntur, qui lacerent opus?
Iam uero, qui pueris melius hæc dictitant,
Quoniam minus peccato sit locus, agere,
Nec esse cur uelimus inepti esse nos.
Eos ego, calumniari quando amant,
Nihil morar, si spectatores optimi
Studium probatur uobis & industria,
Et opera, quam nos huic rei nauauimus
Istis, suis pueri recitent parasiticas.

Apti quibus fortaſſe ſunt fabellulas,
Hic fortè pulchrius eſt, tam ciuiles iocos
Ludosq; tam urbanos in ſcenam adferrier,
Ab ijs quoq; melius paulò qui intelligant,
Quorumq; geſtus haud ad uerba ſingula
Formarier neceſſe ſit, quos nil minus
Veniſſe quàm meditato arbitremini.
Sed cur abutor ueſtram beneuolentiam?
Dum tot pudendis uerſibus uos obruo,
Cum iam uelitis ſat ſcio communiter
Pro uiribus iuuare quenq;, res, ſuis
Publicas, bonasq; promouere literas,
Ardentibus uotis Deos precemini,
Quod dum ſtudemus, conſulite quæſo boni,
Nec ſi quid expectationi non ſatis
Veſtræ faciet, iniqui explodite.

PROLOGVS IN Phormionem.

Saluere ſpectatores ego iubeo optimos,
Honoris huc quicunq; noſtri gratia
Veniſtis, & fauetis horum induſtriæ
Puerorum. Qui daturi uobis fabulam,
Ludosq; daturi, prodiere ſcenico
Ornatu, Sed ſi quis plus iuſto tetricus
Damnarit horum operam, plorare & in malam
Abire rem iubemus illum. Nam malis

Male esse iusq; phasq; est. Adprobent boni
Votum, Terentij huc adfertur Phormio,
Vnà adferuntur huc lepidissimi ioci,
Adfertur & bona copia candidi salis,
Qui nullius ex iniuria risum ciet,
Famamq; uirulento scommate nullius
Aspergit, exporrigite frontem, innoxios
Et incruentos adferimus uobis iocos,
Quales in his dici conuiuijs decet,
Vbi cum bonis conuiuantur itidem boni.
Si quis tamen nigrum salem desiderat,
Et qualia Momus conuitia dicit, uolet
Audire, multa is plaustra nigri inueniet salis
In bibliopolijs, ubi codices noui
Prostant, licet inde sumere quantum cuilibet
Modium nigri & uenenati salis uolet.
Sed cesso. Nanq; prodit nostræ fabulæ
Qui exponet argumentum, uos paruo gregi
Fauete, crescendi copiam date.

ALIVS PROLOGVS in Phormionem.

Primum opto uobis spectatores candidi
Salutem, & à uobis uicissim mihi expeto,
Vt auribus æquis, cur ego huc processerim
Noscatis, & in humanitate spes mihi
Vestra est benignè facturos quod postulo.

Plerique

Pleriq; prologi uestra abuntur patientia,
Qui cum æmulis rixantur in proscenijs,
Vbi blanditijs decet emereri gratiam,
Non odiosè latrare, iocosq; comicos
Ab amarulentis satyris auspicarier.
Si quis canimam meditatur facundiam,
Et dicere, ac audire uult conuitia,
Concedat hinc ad Cynicos, si libeat nouos
Næ is benè, lauteq; accipietur arbitror,
Ego huc uenio indicem ut coronæ, fabulam
Adferri bellulam, læpidamq; Terentij
A pueris aliquot Phormionem, nunc peto
Vt qui studijs fauent, bonisq; literis,
Faueant & actioni pucrorum rudi.

PROLOGVS IN HECVbam Euripidis.

Saluere spectatores candidissimi,
Qui literariæ rei bene cupitis.
Hi me Iuuenes daturi hodie Tragœdiam
Orare causam apud uos iusserunt suam,
Ideo hic in ipso constiti proscenio,
Et lege scenica peto, ut æquis auribus
Orationem accipiatis meam, & meos
Gregales inuidiam contra tueamini,
Quidam nouo, & infando exemplo clamitant,
Factos aliquo tempore ludos scenicos,

Et sera

Et ſera Bacchanalia à nobis agi,
Dum Chriſtianis operandum ſacris fuit,
Nec publicos mores,nec ſacra lædere
Ludi queunt noſtri,Nam non Cōmædiam
Iocularem,aut iuueniles amores, furtaue
Puellarum,aut paraſitorum ſcurrilia
Huc adferuntur dicta, quæ infirmis ſolent
Nocere mentibus,ſed tetrica fabula,
Sententijsq; referta grauiſſimis datur.
In qua fortunæ uarias cernere eſt uices,
Quæ magnis opibus inuidens, euertere
Faſtigium ad ſummum quos euexit,ſolet.
Si quem fortuna fouit mollius hactenus,
Regnumq; ſi cui gerere præcarium dedit
In populo,hunc noſtræ commonent Tragœdiæ
Exempla,ſuſpectam fortunæ ducere
Fidem, ima ſummis momento mutat leui,
Proin fauete noſtræ quæſo fabulæ,
Memorabilesq; uitæ caſus noſcite,
Tragœdiæ huius autor eſt grauiſſimus
Euripides, cuius in poëmatis ait
Oracula tot quot uerſus eſſe,Tullius.
Quod ſi placemus clarè mihi plauſum date.
Sed argumentum cupitis ſcire fabulæ,
Id dicet iam Polydorus emiſſus ſpecu
Profundo Tartari, fatum queſtum ſuum.

PROLOGVS IN THYESTEM Senecæ.

Saluete

Saluete ſpectatores candidiſſimi,
Honoris huc quicunq; noſtri gratia
Veniſtis, & fauetis artibus bonis,
Quarum excolendarum cauſa, quicquid eſt
Hoc operæ quod ponimus in agendis fabulis
Sumimus. At ne detineam uos diutius,
Dicam, Thyeſtem acturi Senecæ ſumus,
Et impia fratrum facta, triſtesq; exitus
Recitabimus, O quantum ambitio parit mali.
Sic regni ſcelerata cupiditas omnia
Confuſa iura naturæ contaminat,
Vt frater impias fratri inijciat manus.
Proinde ſpectandum exemplum damus utile,
Nam cernere hac licebit in Tragœdia,
Nil eſſe peius ambitione, quæ omnia
Diuina, humana, iusq; & fas uertere ſolet,
Quæ florentiſſimis quibuſq; ferè fuit
Exitio ciuitatibus, quæ deniq;
Tum plurimum nocet, cum in templa irruperit,
Vbi hoc tempore ſæuam exercet tyrannidem.
O Dij quam triſtis his impendet exitus,
Qui dum parant regnum ſibi, ſacra polluunt.
Sed ecce prodit Tantalus huc ab inferis,
Is dicet argumentum huius Tragœdiæ.

PROLOGVS IN PHORmionem Terentij.

Vobis ſalutem noſter hic optat chorus,

Qui

Qui ueſte quamuis ſcenica in theatrum uenit,
Mentes tamen moresq; caſtos & pios
Retinet, Deumq; uult iocis & ſerijs
Adeſſe, quem precamur, ut nos protegat,
Seruetq; literariam Rempublicam.
Nam quod didicere fabulas, quas exhibent,
Honeſta cauſa eſt, ut latini copia
Sermonis hauriatur ex his fontibus.
Huic uos ſtudio fauere maximè decet.
Et rebus ipſis utilitas & gratia
Ingens ineſt, imagines uitæ omnium
Pinguntur in Terentij Comœdijs,
Quæ ſingulos, qualis deceat moderatio,
Qualisue in actione dignitas, monent.
Leporq; mixtus eſt, ſalesq; candidi,
Qui ſuauitate orationem condiunt,
Et ſæpè tectè commonent, quod expedit.
Dixiſſe quondam fertur Attica ciuitas,
Natos Menandri Comici lepidos ſales
Illa ex ſalis ſpuma, Venus qua dicitur
Exorta, primum ex Oceano cum prodijt
Id prædicari, & de Terentij iocis
Quanquam ſeuerioribus conceditur.
Nunc Phormionem acturus eſt noſter chorus,
Qui præbet in hoc innoxios theatro iocos.
Sed Phormiones ſunt opinor plurimi
Alij, ſuis qui ſycophantijs mouent,
Vertuntq; tota regna, quos coherceat

Deus, piamq; Ecclesiæ pacem suæ
Det, Sycophantarum peremptis cœtibus,
Et omnium incendat regentum pectora,
Vt ueritatem traditam diuinitus
Et iura iusticiamq; Deo gratam colant.
Sed cesso. Nunc Terentianam fabulam
Audite quæso cum modestia, ut decet.

AD M. NICOLAVM Cœsium.

Ergòne supremis rapuit mors improba fatis,
Te Cœsi, Aonij gloria magna chori.
Hic tua cura fuit iuuenilia corda docere,
Et mecum Christi multiplicare gregem.
Mox erit ut coram cernamus uterq; loquentem,
Te λόγον æterno de genitore satum.
Tunc nobis inter sanctos arcana recludes
Omnia, in ætherea Christe benigne schola.
Interea Cœsi mihi dilectißime salue,
Perpetuum salue perpetuumq; uale.

IN CARMEN M. IOHANnis Schosseri.

Dona Dei certè sunt hæc ingentia, ueræ
In lucem redijt quod pietatis opus:
Quodq; simul doctæ surgunt feliciter artes,
Quas preßit longo tempore Barbaries.

Quæ

Quæ proſtrata diu iacuit diuina Poëſis,
Iam uiuum rurſus floret adepta decus.
Secula noſtra uiros omni uirtute politos,
Vatibus & priſcis progenuere pares.
Quos inter claræ Schoſſerus nomina famæ
Obtinet, & laudem cur mereatur, habet.
Huius enim dulcis commendat copia uenam,
Et mixtus ſancta cum grauitate lepor.
Stigelius uates hunc diligit atq; Sabinus,
Doctrina ſummi iudicioq; uiri.
Chriſte precor ſtudia hæc noſtris tueare ſub oris,
Et laudis facias organa multa tuæ.

IN PINDARVM.

Pindarum quiſquis uolet explicare,
Ille ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, uitreo daturus
Nomina ponto.
Forſan his uerbis aliquis monebit
Vt relinquamus tenebras uetuſti
Vatis, ad Dircen ſua qui ſonabat
Carmina fontem.
Multa ſunt quamuis ſatis inuoluta,
Delphicæ ſortes ueluti fuerunt:
Sunt tamen rurſus quoq; planiora
Plurima membra.
Quæ canunt Regum memoranda facta
Literis nullis alijs relata,

Et re-

Et regunt mores hominum sequaces
Laude bonorum.
Cum Duces Græci petiere Colchos,
Phasidos ripis legerent ut aurum,
Narrat Alciden agitasse remos
Lege coactum.
Sic docet summis etiam Deorum
Filijs, legum patienda uincla.
Legibus uires & opes superbas
Cedere iustum est.
Bella Titanum recitans nefanda,
Arma qui contra superos tulerunt,
Impios fato simili perire
Præmonet omnes.
Ergò uirtutis, sapientiæq;
Musa doctrinam quia tradit isto
Pindari scripto, iuuenes modesti hunc
Noscite uatem.

DISTICHON.

Felix cui dederit mediocria commoda uitæ,
Noticiamq; sui Filius ipse Dei.

IN EXORDIVM TRA=

gœdiæ Euripidis, quæ inscribitur
Cyclops incerti autoris.

Ingentem manibus tollens cratera duabus,
Præpinguis monachus talia uerba refert.
Pocula qui miſer exhaurit ne gutta ſuperſit,
Vnde queat ſiccam muſca leuare ſitim.
Lautitijsq; ſolet craſſum diſtendere uentrem,
Rara fames illi, rarior atq; ſitis.
Heu miſeros fratres, heu duræ ſemita uitæ,
Quàm nobis conſtat uita labore graui.
His meritis cœlum quis deneget? Æacus ipſe
In ſumma tales collocat arce poli.

CARMEN DE AVLA. V. VV.

Quisquis ad alterius nutum componere uultum
Neſcit, & iniuſtis auribus apta loqui.
Nunc uerum, nunc falſa loqui pro tempore, & iſti
Qui rerum potitur complacuiſſe uidet.
Omnibus hunc moneo longè diſcedat ab aulis,
Candor & integritas exulat inde procul.
Exulat & dulcis libertas, omnia faſtus
Plena, nec eſt ullus dicere falſa pudor.
Dicere falſa pudor non eſt, ſed durius illud
Quod non eſt ullus uera negare pudor.
Exilio grauior locus eſt, & triſtior, in quo
Nec ſancto cuiquam nec licet eſſe pio.

TERTIVS.

PHILIPPI MELANTHONIS EPIGRAMMATVM LIBER TERTIVS.

DE PVDICITIA, EX BACCHYLIDE.

Vt cum de ſtatua facies formoſa remota eſt,
Non decus in reliquo corpore truncus habet.
Sic reliqui mores ſpreti ſine honore iacebunt,
Ni ſint ornati laude pudicitiæ.

Δίσιχομ.

Οινοποτῆμ μετρίως, κόρης τ' ἀπλάνυς ἐρατφνῆς,
ἥδιτος βίοτος σὺν φόβῳ θεῦ.

Fortuna hominum inſtabilis &c.

Οὐ τύχαι ἀνθρωποις τῷδ' ἐν βίῳ ἔμπεδοι εἰσιμ,
κοὐ φέυγουσιμ ἀεὶ ὡς ἀμέμιωομ ὀναρ.
ἄλλα θεῦ ἔλεος τοῖς ἐυσεβέασι βεβαιόμ,
τότῳ πιστεύειμ χάρμα βροτοῖσι μόνομ.

Ad Doctorem Maggerium Aurelianum.

κελαινὸν ὄσσιν εὐγενὲς γένος, ὦ φίλε δράχμας
τεσσάρας οὖν πτώχῳ πέμπε μελαγχολικῷ.

PLATO IN EPINOMIDE ait, Gratam de Deo famam in aſtris, & doctrina aſtrorum ſparſam eſſe, quæ ſententia hoc uenuſtiſſimo diſtichо expreſſa eſt.

Ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλει θείας σημεῖα προνοίας,
μᾶλλον δ' ἢ ἄστρων θεσπεσίη διδαχή.
Aſtra quidem ſunt ipſa Dei certiſſima ſigna,
At doctrina Deum certius iſta docet.

EX MENANDRO.

Ὁ βίος μάλισα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πρᾶτα δ' ὁ κόλαξ ἄρισα πάντων,
δεύτερος ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτατος.
Hæc uita gaudet improbis potiſſimum,
Sed aſſentator omnium primas tenet.
Viuitq; longè iucundiſſimè omnium,
Deniq; Sycophantæ proximus eſt honos.
Audire enim calumnias dulce admodum,
At Tertius conceditur locus inuido,
Artes nocendi qui ſcit aſtutiſſimè.

EX HOMERO.

Sit procul à Diuum, & hominum diſcordia rebus.

Ex

SECVNDVS.

EX SECVNDO Iliados.

Ad naues Ithacus properè contendit Achiuas,
Et sceptro armatus perfert mandata Mineruæ,
Hic ubi fortè aliquem procerum uirtute uidebat
Præstantem, blando reuocabat comiter ore,
Non hæc, non decet hæc fortes fuga, siste pudendum
Siste gradum, incautumq; simul compescito uulgus,
Atridæ quæ sit nondum sententia nosti,
Ille animos tantum uafer explorabat inertes,
Ecquid adhuc salua pudeat discedere Troia,
Forsitan & turbæ dabit huic insania pœnas.
Non est, crede mihi, Regum placabilis ira,
Maiestate, potens rerum quos Iuppiter auxit.
Huic etiam Græcæ dux curæ est gentis Atrides,
Verum ex plebe aliquem nil magnæ laudis egentem,
Tunc etiam stolido tantum clamore ferocem
Deprendens, durè increpitat, sceptrumq; minatur.
Quo uesane ruis, mentemq; quis impulit error?
Quin ades, & melior quæ sit sententia disce,
Principibus quibus est solis res publica curæ,
Quam neq; consilio, neq; poßis Marte iuuare,
Omnibus hic nunquam simul imperitare licebit,
Nam multos regnare malum est, Rex unicus esto,
Cui sceptrum, cui iura dedit Saturnius uni,
Huic debes parere Duci, atq; audire monentem.

Iliados Sexto, Hector.

Ζεῦ ἄλλοιτε θεοὶ, δ' ὅπ δ' ἠ ἠὴ τόνδε γενέσθ
παῖδ' ἐμόμ, ὡς περ ἐγώπε, ἀρι πρεπέα ξώεσιμ·
ὧδε βιώτ' ἀγαθόμ, καὶ ἰλίε ἶφι ἀνάσσειμ,
Κ πτέ τις εἴπησι, παγχὸς δ' ὅγε πολλὸμ ἀμείνωμ,
ἐκ πολέμοδ ἀνιόντα, φέροι δ' ἔναρα βροτόεντα,
κπίνας δ' ἥϊομ ἄμδρα χαρείη δε φρένα μήτηρ.

O superi talem fieri concedite gnatum,
Qualis ego existo, & uirtute excellere ciues,
Ingens ut patriæ sit præsidiumq;, decusq;,
Et si quando redit cæso feliciter hoste,
Et spolijs auctus, conclament undiq; Troes.
Hic superat uirtute patrem, quæ gloria nati,
Soletur tristem matris recreetq; senectam.

De Achille libro nono Iliados.

Τὸν δ' εὗρομ φρένα τερπόμενομ φόρμιγγι λιγείῃ
καλῇ, δ' αδ' αλαίῃ, ἐπίτε ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν
τῷ ἄρετ' ἆξ ἐνάρων πτόλιμ ἑετίωνος ὀλέσας
τῇ ὅγε θυμὸμ ἔτερπεμ, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶμ.

Deprendunt Cythara cum tristes lenijt iras
Peliden, erat autem operi pulcherrima forma,
Argentoq; iugum factum latera alta tegebat,
Eetionia spolium hoc auexerat urbe,
Hac animum ille ægrum Cythara mulcere solebat,
Cum caneret laudes maiorum, & fortia facta.

Eodem

Eodem libro Vlysses recenset mandatum Pelei patris, quo Achillem ad comitatem adhortatus est.

Ω πέπρω ἦ μὴν σοίγε πάτηρ ἐπετέλλετο πηλεύς,
ἤματι τῷδ', ὅτε σ' ἐκ φθίης ἀγαμέμνονι πέμπε
τέκνον ἐμόν, κάρτος μὲν ἀθωμάητε καὶ ἦρη,
δῶσιν, αἴ κ' ἐθέλωσι, σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμὸν
ἴσχειν ἐν στήθεσι. φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων
λιγέμεναι, δ' ἔριδος κακομηχάνου, ὄφρα σε μᾶλ
τίως ἀργείων ἦ μὲν νέοι, ἠδὲ γέροντες. (λομ

Cum Pater ex Phthia comitem te misit Atridæ
Quæ dederit mandata tibi suprema memento,
Æacide, lachrimans cum multa monetq;, rogatq;.
Incertam belli fortunam Gnate Deorum
Committe arbitrio, & fatis, uictoria læta
Continget, superi si uestra incepta secundent,
Sed iuuenilem animum frenare, & uincere, cura
Sit tua, crede mihi, placido est nil pectore maius,
Atq; iram furiale malum compesce, meretur
Hæc uirtus iuxta, iuuenumq; senumq; fauorem.

Et paulo post Phœnix dicit se à Peleo patre Achilli luueni comitem datum esse ad bellum, ut illum efficeret Oratorem uerborum, actoremq; rerum.

Σοὶ δὲ μὲ ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα πηλεὺς
ἤματι τῷ, ὅτε σ' ἐκ φθίης ἀγαμέμνονι πέμπε
νήπιον, οὔπω εἰδότ' ὀμίλιον πολέμοιο,
οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι,
τὸν κάμε προέηκε, διδασκέμεναι τάδε πάντα,
μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.
Incertos casus, dubijq; pericula Martis,
Consilijq; artes nondum Pelide tenebas,
Quæ decus immensum pariunt, famamq; perennem,
At tibi me Peleus comitem pater addidit, unde
Dicendi discas rationem, & fortia facta.
ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ὅστις ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔρατῆς ἐπιδήμιός ὀκρυόεντος.
Exultet urbe sua longè laribusq;, domoq;,
Qui cupit in sese ciues dira arma parare.

Κηριοκλέπτης Θεοκρίτου.

Ὃν κλέπτ' ἄρ ποτ' ἔρωτα κακὰ κέντησε μέλισσα,
κηρίον ἐκ σίμβλων συλέυμενον ἄκρα ἢ χερῶν,
δάκτυλα πάντ' ὑπένυξεν· ὁδ' ἄλγεε καὶ χέρ' ἐφύανη,
καὶ τᾶν γᾶν ἐπάταξε, καὶ ἄλατο. τᾷδ' ἀφροδίτα
δεῖξεν τᾶν ὀδύναν. καὶ μέμφετο ὅττι γε τυτθόν,
θηρίον ὄντι μέλισσα. καὶ ἁλίκα τραύματα ποιεῖ.
καὶ μάτηρ γελάσασα, τὶν δ' οὐκ ἴσον ἔσσι μελίσσαις
καὶ ὦ τυτθὸς μὰν ἔνς, τὰ δὲ τράυματα ἁλίκα ποιεῖς.

PHILIP. MELANTH.

E paruo alueolo furantem mella procacem,
Fixit apis puerum Veneris, digitosq; tenellos
Vulnere non uno lacerauit, saucia læso
Intumuitq; manus, uerum puer ipse doloris
Impatiens, plodensq; solum pernicibus alis
Subuolat ad matrem, digitos monstratq; cruentos,
Quantula ait uolucris mortalia uulnera fecit,
Mater ait ridens, tantillus qualia sæpe
Vulnera das puer, ac apibus non corpore præstas.

Idem Ioachimus Camerarius.

Fortè fauos puerum prædantem, infesta, uolucrem
Punxit apis, stimulumq; recenti in uulnere liquit,
Ergò extrema manus, digitusq; tumebat ab ictu,
Ipse solum plodens pedibus, super aëra fertur,
Et Veneri lacera suffusum carne cruorem
Ostendit, questus saniem, sæuosq; dolores,
Ac nihili, tantum, uermis infligere uulnus,
Cui mater ridens, at tu charissime nate,
Robore quantillo quantos ait ædere strages
Sæpè soles, apibus paruo discrimine præstans.

Idem Vrsinus Velius.

Nuper apis furem pupugit uiolenter amorem,
Ipsum ex alueolis clam mella, fauosq; legentem,
Cui summos manuum digitos confixit, at ille
Indoluit, læsæ tumuerunt uulnere palmæ,
Planxit humum, & saltu crepitans pulsauit, & ipsi
Ostendens Veneri casum narrauit acerbum,

Queſtus apem exiguã, uolucrẽ tam uulnera magna
Poſſe dare, huic ridens genetrix, tu paruulus inquit
Nunquid apum ſimilis, qui das quoq; uulnera tanta.

EX HESIODO.

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει,
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ἦσιν ἀμείνω.
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
ὃς δ' ἔκε μήτ' αὐτῷ νοέῃ μήτ' ἄλλου ἀκούων
ᾧ θυμῷ βάλληται, ὅδ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.
Omnia per ſeſe qui præuidet optimus ille eſt,
Proximus ille tamen qui paret recta monenti,
Sed qui non ſapit ipſe, nec audit recta monentem,
Inuida ei mentem miſero natura negauit.

Aliter redditum.

1. *Qui nullo monitore poteſt faciendа uidere,*
Quæq; decent, quæq; euentus in fine ſecundos
Sunt tandem paritura, ſuis obtemperat ipſe
Conſilijs, mores uera ratione gubernans.
Anteit hic alios uirtute, & laudibus omnes.
2. *Sunt alij minus ingenio pleriq; ſagaces,*
Qui parere tamen curant meliora monenti,
Laudandos inter rectè numerantur & iſti.
3. *Sed qui nec ſapit ipſe, nec audit recta monẽtes,*
Nec patitur frenos, nec legum uincula curat.
Sed pronus ſequitur, quò traxit cœca libido,
Hic malus, ac odio dignus ducatur, & idem
Accerſet pœnas ſibi tandem, & triſtia damna.

In κηριοκλεπτὴν Theocriti.

Dulcia sic tristi semper sunt mixta dolori,
Tincta uoluptatis gaudia felle nocent.

Prodigium, conspectum in ciuitate Sibari, sita in extrema parte Italiæ, antequam deleretur.

Cum Sibaris peritura fuit sunt omina uisa,
Præcedunt pœnas nuncia signa graues.
In medio conspecta foro bilem atq; cruorem,
Terribili specie lurida luno uomit.

Citeos fuisse in locis uicinis Macedoniæ, ex Homero manifestum est, qui sic ait Odyss. λ.

Ἀλλ' ὅτοι ἂρ πηλεΐδεω κατενήρατο χαλκῷ,
Ἥρωα εὐρύπυλον, πρῶτοι δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι.
κήτειοι κτείνοντο, γυναικὸς εἵνεκα δώρου.
Ipse Neoptolemus telo traiecit acuto
Magnanimũ Eurypylũ, genuit quem Telephus olim,
Ceteosq; olim iuxta prostrauit, in arma
Coniugium quos promissum traxisse ferebant.

Versus Oppiani de ardore inter cerauum & ceruam interpretati à P. M.

ἀλλὰ

Ἀλλὰ πόσι κραιπνοῖσι θέων ἐκίχανε δέοντα
φεύγοντα μάρπτει δὲ κοὐ ἀγκὰς ἔχει φιλοίων.
Ipse quidem ceruus pedibus uelocibus ipsam
Cum fugit insequitur, sistitq; amplexus amatam.

Iocaste apud Euripidem ad filium Eteoclem.

Ὦ τέκνον οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ
ἐπόκλες πρόσεσιν, ἀλλ' ἡ ἐμπειρία
ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.
Senecta non laborat omnibus malis
Sed, gnate, magnam rerum habet experientiam,
Dicendo polleat ut plus iunioribus.

Ευκλειδου γεωμετρικου.

Ημίονος καὶ ὄνος φορέοντε οἶνον ἔβαινον,
ἀυτὰρ ὄνος σενάχιζεν ἐῶ ἄχθεϊ φόρτου ἑοῖο.
τὼ δὲ βαρυσενάχοντ' ἰδοῦσ' ἐρέεινεν ἑκείνη,
μήτηρ τί κλαίουσ' ὀλοφύρεσι ἥυπε κόρη.
εἰ μέτρον ἔρμοι δοίης, δίπλάσιον σέθεν ἦρα
εἰ δὲ ἔμ' ἀνλιλάβοις, πάντως ἰσότητα φυλάξεις
εἰπέ τὸ μέτρον ἄρισε γεωμετρίης ἔπιϊσον.
Mulæ Asinæq; duos imponit seruulus utres
Impletos uino, segnemq; ut uidit Asellam
Pondere defessam, uestigia figere tarda.
Mula rogat. Quid chara parens contare, gemisq;,
Vnam ex utre tuo mensuram si mihi reddas,
Duplum oneris tunc ipsa feram, Sed si tibi tradam

Vnam

Vnam menſuram, fient æqualia utriq;
Pondera. Menſuras dic docte Geometer iſtas.

Epitaphium Guilielmi Neſeni.

Ὡς τὸ βροτῶν γλύος ἐς ἀνεμώλιον, ἦσ' ἄμυκνόμ
ὦ νέοι, ὡς ἀιὼν πᾶσιν ἄπιστος ἔνι.
ἄπροϊδὴς θάνατος Νέσλωὸν ἔμαρψε νέον πρ,
ἀξένομ ὅμ συγρὸν ἄλβιος οἰδμὶ ὄλεσε.

Epitaphium Petri Moſellani.

κεῖτ ζῳ̃ δε τάφῳ πέτρος ποτάμοιο μοσελλᾶ
τὄωομὶ ἔχωμ, ῥήτωρ ὃς πότε ἦσ ὐς ἔμ.
ζῳ̃ μάκρον τε βίομ, γῆρας τε φθόνησε πθανόμ,
ἀντὶ δὲ ἄτρεσομ μοῖρ ἀπέδωκε κλέος.
πᾶς δὲ μινωϑάδιος καὶ τειρεσία πέλετ ἀιὼμ,
κρείττονος ὀῦμ δ'ώρσ γῆρας ἄμεψε θέος.

Epitaphium Doctoris Martini Lutheri.

πόλλ' ἀγαθὰ ποιῶμ, πλλ' ἐυσεβέα τε δι δάσκωμ
λὸπρος, τύμβω σῶμα δέδωκε ἔομ.
Qui Chriſtum docuit pure, & bona plurima fecit,
Lutheri hac urna molliter oſſa cubant.

Epitaphium Iohannis Eccij.

πολλὰ

πολλὰ φαγὼν, πολλὰ πιὼν, καὶ πολλὰ κακὰ εἰπών,
ὢν δὲ ταφῷ ἔκιος γαστὴρ ἔθηκε ἐλών.

Multa uorans & multa bibens, mala plurima dicẽs,
Eccius, hac posuit putre cadauer humo.

Sirij ortus noxios æstus efficit, ex Homero Iliados 22.

Quem senior Priamus, primus conspexit in armis
Fulgentem ueluti Sidus, quod sole relicto
Anteit Autumnum, nocturnosq; eminet inter
Ignes, atq; suo uincit splendore tenebras,
Formosiq; tenet nomen Canis Orionis,
Qui febrim & morbos miseris mortalibus adfert.

Elementa contrarias habent qualitates, & pugnant inter se, ex Empedocle.

Iungit amor quandoq; elementa, & semina rerum,
Dissiliunt odijs eadem certantia rursus,
Sic res gignit amor, sed non durabile quidquam
Nascitur, mq; uices mutantur cuncta subinde.

Ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνέρχόμεν εἰς ἓν ἅπαντα
ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.
τῇ μὲν γίγνονται. ἠὲ οὐ σφισιν ἔμπεδος αἰών.
τῇδε τάδ' ἀλλάσσοντα διαμπερές, οὐδ' ἅμα πάντα
λήγει.

Arato

TERTIVS.

Arato Sicyonio est statua posita in pa=
tria propter eius uirtutem, cum
hac inscriptione.

Βυλαὶ μὲν ἆθλα, κλυτὴ δ' ἐπὶ Ἑλλάδος ἀλκά,
τοῦδ' ἀνδρὸς σήλας πλάθετ' Ἡρακλέους.
ἁμεῖς δ' εἰκόν', Ἄρατε, πὰρ νόσοιο τυχόντες,
σᾷ μὲν ἀντ' ἀρετᾶς ἠδὲ δικαιοσύνας.
σωτῆρος σωτῆρσι θεοῖς, ὅτι πατρίδι τᾷ σᾷ,
δαίμονι σῷ, θείαν ὤπασες εὐνομίαν.

Id est.

Venit ad Herculeas quanquàm tua fama columnas,
Dum patriam seruas inclyte Arate tuam:
Nos tamen hanc statuam pro libertate recepta,
Virtutis testem fecimus esse tuæ.
Communis tibi cum dijs seruatoribus esto
Hic honor, in patriam nam pia iura refers.

Oraculum ex Pausania, quo pœna La=
cedæmonijs, ob duas filias Scedasi ui
stupratas, & in puteum abiectas
in Leuctris, denunciata
fuit.

Leuctra mihi sunt curæ, & mors tristissima gnatæ
Occisæ Scedasi quæ periere duæ.
Hic atrox fiet pugna, & sæuissima cædes,
Fatalis quando uenerit illa dies.

Quam

Quam prius haud quiſquam norit, quàm Dorica pu
Amittet robur, militiæq́; Duces. (bes

Oraculum in Achaicis Pauſaniæ, in quo duo deſcribuntur Philippi, quorum priorem ait fore felicem regem, poſteriorem uero, uidelicet illum qui cum Romanis bellum geſſit, regni euerſorem.

In Macedum populis clariſsima regna tenebunt,
Argiua de ſtirpe, bonum, damnumq́; Philippi.
Horum qui prior eſt, gentes urbesq́; domabit,
Sed ueteris regni perdet decus omne ſecundus,
A populis uictus, quos mittent ueſper & ortus.

Apollo apud Callimachum inquit, communem eſſe uictoriam ſibi & Ptolemæi Euergeti, qui etiam Celtis in Aſia graſſantibus reſiſtebat.

Contra hoſtem fient communia prælia nobis,
Celtica cum contra Græcos gens bella mouebit,
Titanum ſoboles, extremo cardine terræ
Effuſa, Heſperias & ſedes effera linquet,
Continuas, defenſasq́; niues ut ſpargere Bruma
Flante ſolet Borea, *uenient ſic agmina denſa.*
Non tamen hæc ſtolidis Galatis *uia fauſta futura eſt.*

Clypeus

TERTIVS.

Clypeus Titi Flaminij ſuſpenſus in Templo Delphico cum hac inſcriptione.

Tyndaridæ fratres, quorum fuit inclyta uirtus,
Cuſtodes inter quos modo Sparta colit.
Leges, Libertas, & Pax ſunt optima dona,
Hæc Græcæ genti dat Titus Æneades.

Verſus Empedoclis.

Φοιτᾷ δὲ βροτολοίγος ἔρις κενεὸν λελακυῖα.
Vana ſonans adfert ſæuas diſcordia cædes.

Quales ſunt dominæ tales ſunt catellæ.

Forte cubos primum poſuit cum futilis Abbas,
Tunc ſeſe Monachi ludere iurè putant.
Ὅπαρ πρῶτα κύβους ἔβαλε πότε μάργος ὁ Ἀββᾶς,
παίζειν οἴοντο οἱ μοναχοὶ νόμιμον. (βας,

Ex Arato de Cometis.

Ὄφρα μὲν ἐυετίῃ χαίρῃ πολυδέγμονος ἀνήρ,
μήδ' ἐῖεν καθ ὑπερθεν ἐοικότες ἀστέρες ἀιεὶ.
μήδ' εἷς, μήτε δύω, μηδὲ πλέονες κομόωντες,
πολλοὶ γὰρ κομόωσιν ἐπ' ἀυχμηρῷ ἐνιαυτῷ.

Fertilis Agricolæ uotis contingat ut annus,
Nunquam crinitum uideatur in aëre ſidus.
Non unus geminiue micent, pluresùe Cometæ,
Apparere ſolent nam ſicco tempore crebri.

Epigramma, quo uenustè significatum est, & turbari mentem uino, & accendi corpora ad libidinem.

Ὅπλισμαι πρὸς ἔρωτα πρὶ σέρνοισι λογισμόν.
Οὐ δὲ με νικήσει μοῦνος ἐὼν πρὸς ἕνα.
Ἀνικτὸς δ' ἀθανάτῳ σωελεύσομαι, ἢν ἢ βοηθόν,
Βάκχον ἔχη, ζὶ ποιεῖν πρὸς δύ' ἐγὼ δύναμαι.

Hoc est.

Sum satis illecebras contra munitus amoris,
Nec solum solus me superare queat.
Ne formido Deum, quamuis mortalis, at ille
Si Bacchi adiunget numina magna sibi.
Non hostes contra geminos contendere possum,
Et spolia ex uno est non graue ferre duos.

Versus qui recitantur in oratione Lycurgi contra Leocratem.

Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινὰ
τοῦτ' ἀυτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
τὸν νοῦν τὸν ἐσθλόν. εἰς δὲ τἀν χείρω τρέπει
γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Id est.

Iratus ad pœnam Deus si quos trahit,
Auferre mentem talibus primùm solet.
Caliginemq; offundit, ut ruant suas

Furen-

Furenter in clades, ſibi quas noxijs
Accerſierunt ultrò conſilijs malis.

Verſus Euripidis, qui in eadem oratione recitantur, ſic ſunt redditi latinē.

Si quis beneficium daturus eſt ciuibus,
Id gratius ſit liberali pectore
Et ſpontè cum datur, datum moroſius.
Lenteq́; non habebit ullam gratiam.
Ergo uolens gnatam exhibebo patriæ,
Vt ſiat hoſtia pro ſalute publica.
Mentemq́; cauſæ permouent graues meam,
Vrbs noſtra multis antecellit cæteris,
Nequaquam enim confluxit huc ex diſſonis
Confuſa multitudo gentibus, gerens
Moresq́; naturasq́; diſſimiles ſibi:
Sed mater hæc eſt una tellus Attica,
Stirpis uetuſtæ ciuium, ex hoc quam ſolo
Mundi architectatrix creauit mens Dei,
Virtutis acres inſerens ſtimulos ſatæ.
Sed condidere urbes coloni cæteras,
Paſſim profecti diſſitis regionibus,
Non congruentes mentibus, luſor uelut
Si diſcolores in fritillo miſceat
Talos. At urbem quiſquis externam incolit,
Vt in tigillo nodus aſper eminens,

Ceu tignum ad ordinem ædificij non quadrans
Non ille mente ciuis est, sed nomine.
Nostra ergo pro patria, uerendis legibus,
Et constituta moribus bonis decet
Pericla adire, & perpeti ærumnas graues,
Causamq; quare procreamus liberos
Hanc esse præcipuam putandum est, ut Dei
Noticia luceat futuris seculis,
Semperq; custodes sient superstites
Cœlestium legum, atq; templorum Dei.
Qui in patria tueantur has res optimas,
Et disciplinam ciuium, & mores bonos.
Non impia feritate deleri sinant,
Nec franget ullus hoc nostrum pectus timor,
Violare leges ut uelim sanctissimas,
Quæ singulos prodesse patriæ iubent,
Cum morte filiæ unius periculo
Nunc liberari tota possit ciuitas.
Nam me docet numeratio, ut seruem magis
Quod plus uidemus esse, quam quod est minus.
Vnam domum labi, minus certè est mali,
Quam ciuitatem ruere totam funditus.
Si pro puella germen esset masculum
Natum mihi bellumq; fortè posceret,
Ciues ut hostem dimicantes prælio
Depellerent, num filium mortis metu
Recusem in aciem mittere? At uero mihi
Tales ego opto filios, qui fortiter

Et prælientur,& uelint excellere
Inter uiros uirtute clari cæteros,
Nec ſint in urbe ceu figuræ imutiles
Aut picta ſeu ſimulachra parietes tenent.
Sed ſæpè matrum lachrimæ cum filij
Arma induunt, animos eorum effœminant.
Harum eiulatus atq; mollia pectora
Non laudo,quibus ignaua uita charior
Eſt filiorum,quàm decus pulcherrimum.
Et quæ ſuis ſuadere turpitudinem
Audent,honore nec ſepulchri, & poſteri
Mouentur adprobatione ſeculi,
Quod prædicat uirtutem eorum laudibus
Veris & immortalibus, qui patriam
Et templa protexere,nec mortis metu
Ceſſere noſtris hoſtibus,nec ſanguinem
Vitamq; dubitarunt ſuam profundere.
Et filiæ noſtræ futura eſt gloria
Æterna,ſi pro patria mortem oppetat,
Geminasq; ſeruabit ſorores unica.
Cædam ergò gnatam,ut fiat hoſtia ciuibus.
Non dico enim eſſe propriè unius meam,
Niſi quòd ex aluo mea ſeu plantula
Nata eſt. At urbe perdita ſimul omnia
Perire nosq; liberosq; cernerem.
Sex dixeris.Extincta ſi ſit filia,
Nos unà in urbe ſceptra deinde amittere.
Eſto ferent ut fata,ſtirps tunc altera

In urbe noſtra principem teneat locum.
Seruaſſe patriam maius eſt regno decus,
Deniq; uoluntas recta ſit quod poſſumus.
Præſtare legibus uolo ſanctiſſimis
Parere, nec uiolare eas ſciens uelim.
Et interim fruar bonis communibus,
Legum ordine, atq; diſciplina ciuium,
Quæ me uolente nullus hic deleuerit.
Non ſede ſtantem Palladem firmiſſima,
Læuaq; terrificos tenentem Gorgonis
Angues, mouebit, aut ab arctoa plaga
Eumolpus huc exercitum ducens ferum,
Aut barbaræ gentis furor Thracenſium.
Nec hoſtis hic trophæa figet uſpiam,
Nullos triumphos hic aget, nec laurea
Victrice glorians ſuperbè ornabitur.
Concedo ciues uictimam hinc abducite,
Vt ſalua ſit uictrixq; noſtra patria.
Nam filiæ uitæ ſalutem publicam
Immota ſtat ſententia, anteponere.
O patria utinam diligant te ſinguli
Ciues, ut hoc ardet meum pectus tui
Amore uero, ſi uoluntas principum
Talis foret, tranquillior ſtatus tuus
Maneret, & motus domeſticos mali
Ciere non poſſent, & hoſtes exteros
Arcere poſſet omnium concordia.

Hector apud Homerum Iliados 15. adhortatur Traianos, ut pro patria dimicent.

Conferti naues animis ingentibus inter
Quiſq; ſuo pugnate loco, nec uulnere quiſquam,
Seu mortis fugiat pauidus formidine uictus,
Sed iaceat, ſi quem fati ſors dura peremit,
Pro patria magnum decus eſt profundere uitam.
Nam reliqui ciues noſtra uirtute teguntur,
Et ſaluæ interea matres, natiq; manebunt,
Qui ſunt ætatis futuræ ſemina, & urbis.
Templa manent legesq; bonæ, pietasq̄; pudorq̄;,
Et tunc quiſq; ſuis rebus, fundisq; fruetur,
Cum pulſi fugient hoſtes in patria regna.

Poëma ueteris Poëtæ Tyrtæi, latino carmine redditum.

In prima pugnantem acie cecidiſſe decorum eſt,
Seruantem patriæ mœnia chara ſuæ.
Nam miſerum eſt patria amiſſa laribusq; uagari,
Mendicum & timida uoce rogare cibos.
Cum natisq; errare ſuis, & coniuge mæſta,
Et cum matre pia, cumq; parente ſene.
Omnibus inuiſus quoſcunq; acceſſerit exul,
Semper erit, ſemper ſpretus egensq; iacet.

Nullus honos generi est, et perdita gratia formæ est,
Cunctaq; tabescunt membra dolore graui.
Curat nemo uagos, & lædere nemo ueretur,
Non exul curæ ducitur esse Deo.
Intrepidi pugnate uiri, & profundite uitam,
Quam patriæ debet reddere quisq; suæ.
Nemo aciem linquens alijs sit causa pauoris,
Iunge maniplari corpus & arma tuo.
Ingentiq; ira flagrent audacia corda,
Nec uitæ nimius pectora frangat amor.
Nec Iuuenile agmen tardos ætate relinquat,
Corpora sunt quorum languidiora, senes.
Indignum est aciem ante senilia fusa iacere
Corpora, iam iuuenum diffugiente manu.
Quæ magis hoc miserum est in puluere linquere uiri-
Canicie quòd sint iam ueneranda sua. (tam,
Quàm triste est latis spectare iacentia passim,
Nudata in campis membra cruenta senum.
Qui quãquàm exhalant animas memmere pudoris,
Quasq; decet partes occoluisse tegunt.
Ac superant formæ iuuenilia corpora flore,
In quibus & uirtus gratior esse solet.
Inq; acie Iuuenum prima pugnare decorum est,
Signa etiam decus est si cadat ante sua.
Ergò tuo consiste loco pede firmus utroq;,
Compressos dentes & labra morsa tenens.

Volucres potius mortem oppetunt quām nidos deſerunt, ex uete=ri poëmate.

Οὐδ' ἀγρία γὰρ ὄρνις ἣν πλάσῃ δόμον,
ἄλλῃ νεοσσοὺς ἐντεκεῖν ἠξίωσεν. Hoc eſt,
Non quem ſibi nidum uolucris ſtruxerat
Relinquit, atq; cedit alteri fugax,
Ouis ut alia ibi incubet recentibus.

Ex Euripide in Phœniſſis.

Si quis malorum gaudet commertio,
Rogare qualis ipſe ſit, nil eſt opus:
Nam quisq; ſimilis eſt ſodalij ſui,
Vadens ad aucupia cum uiſco & illice.

Iambica ex Antigone Sophoclis.

Non pectus ullius poteſt introſpici,
Vrbis Magiſtratus priuſquàm geſſerit.
Ego, ſi quis in graui periclo ciuium,
Verè ſalutarem ſciens ſententiam,
Eam timore uictus occultat tamen,
Hunc iudico ciuem eſſe malum ac inutilem,
Et ſi quis antefert ſaluti patriæ,
Priuati amici gratiam atq; munera,
Hic omnium eſt mortalium iniuſtiſſimus.

Ergo Deum testem inuoco, si patriæ
Discrimen impendere uidero meæ,
Me uoce dicturum atq; mente libera
Sententiam, uerissima quæ uidebitur,
Nec ullus hostis ciuitatis publicus,
Priuatim amicus esse ducetur mihi.
Sed nauis hæc quæ seruet omnes unica
Sit ciuitas, qua cùm uehemur integra.
In ipsa amicos quærere florente licet.

EPTAPHIVM REVEREndi uiri D. Iohannis Hessi. S. Theologiæ Doctoris, & Vratislauiensis Ecclesiæ pastoris.

Ἐσὶ θεῷ λιπαρῶν θυσία χαριεσέρα ἄλλων,
καὶ ὁσίμιὼ γλυκερὰ λοιβὴ ἱερὸ ἀγαθίων.
τίὼ σοφίαν καθαρῶς ἐναγγελίοιο δίδάσκειν,
καὶ φωνῇν ὁσίαις δόγματα θεῖα φρεσίν.
τοῖος ἰωάννης ποτὲ ἔνθα δίδάσκαλον ἦεν,
ᾧ πατρώα ἔλιω, ἔωος ἐπωνυμία.
θέσφατα ὃς λαοῖς ωείρων φὼτάλματα χρισθῦ,
πισὸς ἐὼν, δολερὰς ὀυ προσέμιζ' ἀπάτας.
καὶ τίμησεν ἀκιδήλοις ἀρεταῖς θεὸν ἀιεῖ,
φὼ κραδίῃ πισὶν, σεμνάπε ἤθη ἔχων.
νεῶ ὅωῦ ἐς μακάρων ψυχίὼ θεὸς ἤγαγ' ὅμιλον,
ᾧ δὲ σόρῳ τάυτῃ λείψανα δῆκε πόλις.

Epita-

TERTIVS.

Epitaphium Leonarti, filij uiri clarissimi Georgij Maioris Doctoris Theologiæ.

παιδιὰ ὁικτίρμων δ'έχετ᾽ ἄχθεντα πρὸς ἀυτὸν
παντοκράτωρ ὁ θεος κοὐκ ἀπολέσθ᾽ ἐᾷ.
δ'έξατο ὁῶς σὲ θεὸς, τέκος ὦ Λεόναρτε Γεοργοῦ
φίλτατον, ἐλλογίμου εὐσεβέος τε πατρός.
εἰδ'ὡς χρὴ θεὸν εἶναι ἀληθέα, ὃς φανερώτη,
δηλώσας τέρασιν τὸν νόμον ἀτρεκέσι.
καὶ μὴν πέμψας σὺν σαυρῷ λύτρα τίοντα,
ὥσε καταλλάξῃ τῷ πατρὶ φύλα βροτῶν.
τόνδ'ε θεὸν πίστει καὶ καλοῖς ἤθεσ' ἐτίμας,
φωνήσας ἱκέτιν χρισὸν ἀεὶ ἔμεναι.
τοὕνεκα ὀυρανίης ζωῆς λεόναρτ' ἀπολαύεις,
ἠδὲ φάει σὺν λαμπρῷ χριστοῦ ἀεὶ ἐσορᾷς.

AD REGEM.

Δεῖ πάσχις βασιλῆ' ἀρετῇσι κεκάσμηνον ἔιναι,
τόνδ'ε μάλα δ' ὅσις παίδ'ων ἄρχειτε κρατεῖτε,
τοῖς χρὴ ἐξισαμνίοις παῖδ'εσχε γίνοντε ὁμοῖοι.
ἐθλὸν δ'εῖ σε ἔοντ' ἐθλοὺς πρῆσαι καὶ ἄλλους.

Ἰσλιανὸς ἀπὸ ὑπάρχων
Αἰγυπτίου.

Στέφος πλέκων πόδ᾽, ἔυρον
σὺν τοῖς ῥόδοις ἔρωτα.
καὶ τὸν πόρων καταοχὼν,

ἐσάπις

ἐβάπτισ' εἰς τὸν οἶνον,
λαβών' ἔπιθον αὐτόν.
καὶ νῦν ἔσω μελῶν μου.
πτεροῖσι γαργαλίζει.

PHILIPPVS.

Cum necterem corollam
Inter roſas repertum
Cupidinem prehendi
Ala, meroq; mergens
Vna imbibi procacem,
Nunc ille ſæuit imis
Puer mihi in medullis.

Aenigma Philip. Melanth.

Ἔχω σὲ ἄλλων τὰς φοίβας φράγκε πορείας
μάνθανε, οὐρανίους καὶ θεοῦ ἔργα φοράς.
ὅστις ἔτους σώλους ἕλκει πόρους ἤματα κύκλος,
τοῦ ποταμοῦ φράζει τοὔνομα ὑμεδάπους.

Diſcite præcipuè Solis motumq; uiasq;,
Vos quibus eſt patrium Francica terra ſolum.
Nanq; dies totus quot traxerit ambitus anni,
Id fluuij ueſtri uox bene nota ſonat.

M	40.
E	5.
N	50.
O	70.
Σ	200.

Summa 365 dies.

D. Pdlle

D. Paulus Eberus.

Hoc tibi monſtrat idem Fluuij uox græca, quotannis
Poſt meſſem Pharij qui rigat arua ſoli.

N	50.
E	5.
I	10.
Λ	30.
O	70.
Σ	200.

Summa 365 dies.

Limites Germaniæ.

Ῥῆνος ἀπ' ζεφύρου, διάδροιο δὲ ῥέεθρον ἀπ' ἠοῦς,
γερμάνων κρατερῶν γαῖαν ὁρίζει ὅλιον.
ἔσχαται δ' Ἄλπεις νιφόεσσαι πρὸς νότον εἰσὶν
ἐς βορέαν πύματος βαλτικὸς ὠκεανός.

Vel alio modo.

εἰς ἠὼ διάδρος, ξείνου πρὸς ὄλετον ὄχθαι,
γερμάνων χώρας τέρματα δεξιὰ ὅλης.
σκρίχθη δ' ἔρκος νιφόεσσαι πρὸς νότον Ἄλπεις·
ἐς βορέαμ πνεύματος βάλθικος ὠκεανός.

Rhenus ab occaſu, Viadri ſed flumen ab ortu,
Clauſerunt fines Teutona terra tuos.
Aëriæq; Alpes immotum limes ad Auſtrum,
Balticus ad Boream terminat Oceanus.

ARATI CARMEN
â Philippo redditum.

Morta=

Mortales nondum deprendimus omnia ſigna,
Quæ Deus impreßit naturæ conditor, arte:
Sed nos multa latent quæ nondum comperit uſus,
Quorum aliqua oſtendet uenturis Iuppiter annis,
Qui genus humanum cùm uerè diligat, augens
Muneribus uarijs toto ſe monſtrat in orbe.
Vt quoties oculis incurrunt undiq; noſtris
Eſſe Deum doceant ueſtigia talia, nosq;
Eſſe ipſi curæ monitos teſtentur, & ipſum
Agnoſcant noſtræ mentes, lucemq; ſequantur
Iuſticiæ, quam noſtra opifex in pectora ſparſit.

Idem Aliter redditum à Vito VVinshemio.

Plurima mortales fugiunt incognita mentes,
Quæ Deus æternus nondum patefecit in arte,
Hoc duce mox eadem manifeſta in luce patebunt,
Quæ nunc ſub denſa caligine merſa premuntur.
Namq; ipſi ingenti genus hoc amplexus amore
Vndiq; conſpicuum ſeſe dedit, atq; per omnes
Naturæ partes oſtendit plurima ſigna.

Apud Atheneum γλαὺξ ἐν τάφῳ De Sophocle ſene habentem uetulam.

Noctua ut in gelido cùm nidum fortè ſepulchro
Conſtruit, & cœcum fœda cubile tenet:

Talis

TERTIVS.

Talis erit thalamus uetulæ mulieris, egenti
Et deliranti quæ malè nupta ſeni eſt.

Contra Curioſitatem.

Ἀπραγμόνως ζῆν ἡδὺ μακάριος βίος
καὶ σεμνός, ἐὰν ᾖ μεθ' ἑτέρων ἀπραγμόνων
ᾧν θηρίοις δὲ καὶ πιθήκοις ὄντα δεῖ
εἶναι πίθηκον. ὦ ταλαιπώρου βίου.
Non curioſè uiuere eſt ingens bonum,
Si modò nec inter curioſos uiuere
Cogaris, & inter factioſos complices.
Sed quandò uiuis inter beluas malas,
Et ſimias, oportet fieri ſimiam,
Heu uita quantis miſerijs obnoxia eſt.

EX MENANDRO.

Εἰς ἥν δὲ δοῦλος οἰκίας ὁ δεσπότης.
In quaq; Seruus unus eſt Herus domo.

ἑξάστιχον P. M. de dicto 1. Paral. 17.

Aſpexiſti me in forma hominis,
qui es in excelſis Iehoua
Deus.
In forma quod nos hominis placidiſſime Chriſte
Aſpicis, & tamen es conditor ipſe Deus:

Et no

Et noſtram formam miſeratus crimina doles,
Et uitæ æternæ gaudia uera dabis.
Hæc græci canimus tua dona, ſimulq; precamur,
Tu nos ut doceas luce regasq; tua.

HESIODVS LIB. II.

ἔργ: καὶ ἡμέρ:

Ἦμος κόκκυξ κοκκύζει δρυὸς ἐν πετάλοισι,
τὸ πρῶτον τέρπει βροτοὺς ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν.
τῆμος Ζεὺς ὕοι ἔτι τρίτῳ ἤματι, μήδ' ἀπολήγοι.
μήτ' ἄρ ὑπερβάλλων βοὸς ὁπλὴν, μήτ' ἀπολείπων
οὕτω ὀφρύσιν πρωτηρότῃ ἰσοφερίζει. (πων,

Cum cuculus rauca quercu ſuper arbore cantum
Ingeminat, lætuſq; noui uer nunciat anni,
Continuo è cœlo fœcundus defluat imber.
Si largè ille boum ueſtigia flumine replet
Clara diem terris dum quartum aurora reuexit,
Irrigat, atq; ſiti morientes recreat herbas.

SEQVITVR HELII Eobani Heſſi Elegia de Calumnia.

EOBANI

TERTIVS.

EOBANI HESSI ELEGIA DE CALVMNIA.

Dicere quos habeat uesana calumnia mores
Me breuibus numeris docte Philippe iubes.
Obsequor, & merito, quis enim tam recta monenti
Non etiam iustas pareat ante preces?
Sed breuibus numeris & paruo carmine dici
Tanta lues nulla conditione potest.
Interea Solymi requiescant carmina uatis
Dum canitur Musis Eumenis ista meis.
Pinximus hanc olim dum nos populosa teneret,
Subdita Sarmaticis Prussia sideribus.
Hac uulgata suas pinxere uolumina frontes,
Ne tanti lateat clausa figura mari.
Pinxisti hanc celebri Pegnesidos urbis in aula,
Nuper honor patriæ Pyrgicamere tuæ.
Pinxerat ipse suis hanc nuper in ædibus omni,
Sturtiades nobis dignus honore cani.
Sed tamen inuentor quis primus imaginis huius,
Extiterit forsan, quem fugit ille roget.
Cous apud regem falso accusatus Apelles
Indignum tabula uindice pinxit opus.
Considet in solio ueluti Rex auribus amplis
Videris, auritum dixeris esse Midam.
Hic est ille Midas quem falsa calumnia uerbis,
Auersum uero, credere falsa facit.

Huic geminæ adsistunt dextra leuaq; puellæ,
Consona quæ propijs nomina rebus habent.
Prima loco motam tenet Ignorantia mentem,
Altera Suspitio credere falsa docet.
Tum uelut Alectus armata calumnia flammis,
Insontem tacita circuit arte uirum.
Circuit & captum rapit ad regale tribunal,
Et sontem falsi criminis esse facit.
Hanc ternæ comites à tergo pone sequuntur,
His sua pro rebus nomina conueniunt.
Inuidia siquidem compulsat calumnia fraudem
Aduocat, hæc tacitas excitat insidias.
Hæc sunt arma, quib. miseros mala perdit Erinnys,
Qua furiosa nihil tartara peius habent.
Post Metanœa sequens tristi circundata palla,
Quod cito crediderit pœnituisse docet.
Namq; ubi de tenebris emerserit Alethea
Omnia, ceu tenebras, discutit orta dies.
Hactenus expressa est depictæ caussa tabellæ,
Si capere immensum parua tabella potest.
Nam quis inexplicitæ queat omnia nomina pestis
Edere? quis uarias explicuisse uices?
Quæ tot imaginibus tot deformata figuris,
Totius immensas obsidet orbis opes.
Quot nec Apellæam poterit manus ulla per artem,
Dædala nec Rhodij pingere cura senis.
Nam quos non aditus, quæ non subit atria regum?
Quæ fora, quæ non hæc limina pestis addit?

Repit

Repit & occulto ſubit in penetralia lapſu,
Et niſi Principibus non amat eſſe comes.
Raro etenim uulgo plebeias occupat aures,
Et minus hic rabies iſta nocere ſolet.
Summa petit, ſemperq; alta, quos prendit, ab arce
Non ſecus ac rapidi fulminis igne ferit.
Hoc peior, quod aperta nocet minus, omnia turbat
Improba ceu quadam ſub pietate latens.
Friuola commodiore modo fortuna ferenda eſt,
Opprimit illa latens, hæc manifeſta nocet.
Noxia nulla magis miſeris illuſerit Ate,
Deijcit illa bonos, hæc ferit ultra malos.
Non hac blanditiæ, non aſſentatio demens,
Quamuis ſint ſociæ, plus nocuiſſe queant.
Inuidia infœlix minor hac ſi ſola fuiſſet,
Et minor inſonti pœna futura fuit.
Deniq; quæcunq; eſt aliquem metuenda per orbem,
Huic bene conferri peſtis acerba nequit.
Omnibus inuolitat furioſa calumnia terris,
Et uacuum de ſe non ſinit eſſe locum.
Non habet hæc penſi quicquam, quo nomine, quàue,
Dum premat, inſontes opprimat arte uiros.
Atq; ut facta uolens uelut hæc generalia mittam,
Res eſt in ſpecies iſta ſecanda ſuas.
Prima loco ſancta ſub relligione moratur,
Atq; iſta ſedem legit in arce ſibi.
Inde quot obruerit ſacratæ fulmine dextræ,
Idem eſt & ſtellas enumerare labor.

Inde quod aßidue ſcelerata per arma trucidet,
Tam facilè eſt dici quam ſine uoce loqui.
Aſpice Pontifices petrina in ſede tyrannos,
Et quotuplex iſta fulmen ab arce cadat.
Non aliam dices habitare calumnia ſedem,
Non alia potui lætior eſſe domo.
Quiſquis enim non iſta, Dei ceu numen adorat,
Plumbea Romani fulmina Pontificis.
Hunc rapit ardentes ſuccenſa calumnia uultus,
Siſtit & auritum protinus ante Midam.
Proximus hic uicio, quantumuis purus & inſons
Occidit, & pœnam pro pietate luit.
Nunquam illo Metanœa loco ſe oſtendere uiſa eſt
Vſq; adeo nihil hic pœnituiſſe poteſt.
Sint ſcelerata licet, ſint deformiſſima dictu
Quæ fiunt illic, ut pia facta probant.
Namq; nec Alethea illic ſcelus ulla reuelat
Vſq; adeo falſum gens facit iſta nihil.
Decipit incautas nulla Ignorantia mentes
Hæc alibi, non hac ſeruat in arce locum.
Tam faciunt quicquid faciunt prudenter, ut ipſum
Si liceat, poßint fallere fraude Deum.
Quatuor at reliquis Dea ſæua inſtructa miniſtris
Omnia pro ſolita conditione gerit.
Suſpicio ſiquidem, quæ non ſunt, credere cogit,
Inuidia officio non ſinit eſſe locum.
Ducit in inſidias fraus ſemper auara nocendi,
In facinus cauſas fingere docta ſuas.

Præci=

Præcipitant demum insidiæ si forte potestas
Sit data, si non sit, qualibet arte nocent.
His armis aggressa pium furia ista Lutherum,
Conata est auida perdere sæpe manu.
Gratia seruauit, ne perderet obuia CHRISTI,
Solus hic infamis non timet arma Deæ.
Ecquid enim sacram turbare tyrannida Papæ,
Audet ab Arctoa turbidus ista plaga?
Ecquid ut ad redeat priscos Ecclesia ritus,
Hic noua peruersa dogmata mente serit?
Hic nihil in totam concita calumnia sectam
Sæuiat? hic placidæ nomina pacis amet?
Non ita, nam caræ generosa palatia Romæ,
Plena dolis linquens, inferiora petit.
Atq; ita pontificum sedes aggressa minorum,
Nulla non miserum circuit arte gregem,
Hic agit innumeros regina calumnia motus,
In sibi contemptæ uilia membra domus.
Hinc arma sacræ ceu relligionis in hostes,
Non hæc nata suæ gentis in arma manus.
Hinc ita sæuit atrox, ita degrassatur in omneis
Quos premit, ut paci non sinat esse locum.
Hinc tormenta, cruces, laqueos, incendia, flammas
Aptat, & innocuo uulnera mille gregi.
Sicut nostra nouo uiderunt secula ritu,
Pontifices auidas cædis habere manus.
Quando alios sæuis hausere incendia flammis,
Hinc alij medijs obruerentur aquis.

Innumeri laqueo, & gladijs periere cruentis,
Quando etiam Reges ista tyrannis agit.
Limina quando ducum, quando alta palatia Regum,
Tam sine fine nocens ista Megera colit.
Non tamen omnigenum, nam sunt qui fortiter istis
Laudibus Heroes nomina prima tenent.
A quibus ista procul scelerata calumnia prostrat,
Et quibus est ueræ cura salutis opus.
Subrepit tamen illa nocens & friuola pestis
Vndiq;, & insidias hic, & ubiq; struit.
Nec quisquam, nisi forte latens, & nomina cassus,
Effugere hanc furiam qualibet arte potest.
Omnia peruolitat, perumpit, & omnia furtim
Rimatur, nullo se tenet illa loco.
Præcipue tamen in sacri pia dogmata uerbi
Sæuit, & hæc totis uiribus acta furit.
Vsq; adeo, ut rari quos nulla calumnia turbet,
De populo fidei Christidos arma ferant.
Vt nulli possint ueræ pietatis honorem
Adsercre, in quos non sæuiat ista lues.
Sic premit insontes, sic euehit illa nocentes,
Vt uis fassa dolum non sit iniqua magis.
Hoc periere modo tot milia tempore nostro
Qui, nisi quod saperent, non habuere nefas.
Nec tamen exemplis libet hic mordacibus uti,
Liuor ab exemplis sæpe uenire solet.
Notior est pestis, uulgatior ista tyrannis,
Quam sit ut exemplis inuenienda fides.

Si tamen

Si tamen ulla fuit tempestas dura per orbem,
Hac nostra nunquam durior ulla fuit.
Quam tot iniqua modis tot & artibus afflixisset,
Tartareo pestis nomen ab hoste trahens.
Quam tibi dum breuibus numeris describere conor
Crescit in immodici cura laboris opus.
Tam late, tam regnat ubiq; & sæuit in omnes,
Hoc paradisiaco sæuius angue malum.
Nec uinces ratione alia, non arte leuabis,
Quam pestem hanc animo si patiente feras.
Sola potest tantam patientia uincere cladem,
Non nisi te superis sedibus illa uenit,
Hæc istam curare luem medicina potens est,
Cui comes in superos est generosa fides.
Verus amor, spes fixa Deo, syncera uoluntas,
Miscent hæc medica pharmaca certa manu.
Istius antidoti uires obieceris hosti
Per mala tot, CHRISTO principe, uictor eris.
Sic non ulla suis nocuisse calumnia telis,
Nec poterit quicquam fraudis obesse tibi.
Hactenus hæc breuibus tibi scripta Philippe came-
Qua mea consuesti dexteritate feres. (nis,
Non, quia non, si cuncta sequi uoluisse putemur,
Copia in hanc causam longa futura fuit.
Non, quia non etiam fuerit bona, temporis ipsa,
Si uoluissemus conditione frui.
Sed quia naturæ uitium sic omnia nostræ
Reijcit, in paruas præcipitanda moras.

Nunc tamen iſta leges ſubitis properata lituris,
Quando ſatis præſens nulla camœna fuit.
Sic tamen ut noris, ſi qua hic non forte probaris,
Iudicio tolli carmina poſſe tuo.
Aut tibi ſi qua minus faciant ſatis, omnia cures
Præſcripta ut redeant conditione mihi.
Maior ut accedat reuocatæ copia Muſæ,
Et cultu poßit ſplendidiore legi.
Viue diu, mihi tam longa digniſſime uita,
Quam diu adhuc aliquas Albis habebit aquas.

FINIS.

Das beste Kind Vermeyde zu breit
so die Eltern ihren Kinder
den Kind lassen können ist mei-
ne ermahnung nach der Ciceronis mey-
nung Lieber Francisce dir, ich dir
leben bey deinem leben in aller Gottes
furcht an Der Tugenden, die Gottes
Tugenden, zu lieben, und fleiß
Künste studieren und lernen
das du Gelehrt werdest, dein Vater
soll du loben ist, und bittest
dich
dienem bessern, zwar sein Wille
und fleiß anlegest, dich und
dein studia so promoviren,
Cicero vor hin setzen, in dem er sagt
und macht, das ein Knabe, das du
mögest in deinen Knaben Jahren
sechzehen Jahren in dritten
und fünften Jahren fleissig kämpf
ersagen Laerden, zu Gottes

Gleichs da wyre, wildt Leuen finden
Die schlyes gewinge Eltern, bis
Voll, ganz Hond gar in Nothes
Plagen, vnd den allein nicht
herzundes bud sin obligen, D
Ir Kindern herschafft vnd
Angelegenheit vor Der Welt, meer,
als elgenlich vnd recht vor Gott
leben möger. Ja ob sie schon nicht
gelernet, bud grobe Esell bey H.
ren grossen Hütteren sein, doch
Kinder es sie, das sie ihre Kinder,
kein Gastlich auferzogen, vnd
als fatale Exempel aufgeben, vnd
end setzen, diese nit feind dri,
nen Vatter nicht Hinzugleichen,
welcher mehr Dahon Gelt, Steuer
um seiner Jugent, ob er gleich
nidriges Herkommens in Hütten
Künsten, vnd sitten auferzogen

Gottes ob morgen (so die Zeit
dein leben fristen) wir aufstehen und
gelebet man auf die weiten
wirdt; welcher hoffnung du
musst allein in deiner Regent
ung Kindtlicher furcht, und ge-
horsam dings & thun sondern
auch so viel die möglich mit
Kunst und Fleissigkeit vor-
sehe du mögst Vormessen, und
die ganze Zeits deins Lebens
erhalten sollst. Dann du zu
der warheit darvor Erahren,
Das man sich gentzlich al-
ler dinge, was Kunst, und
Fleissigkeit des Menschen
und andere haben thun mö-
gen, [illegible] die vorsichtigen,

so von einem zu sagen, und [illegible]
geborenen Herrn Gott, als
von Adam, und darzu der
Königl. advocaten du zu warten,
und verhoffen seine Sitze
legen du, das du vor dem mes-
sen Hasen, Heidy: Heinz he-
ben Hasberg, und vorbeten soll
einbindest, welchs dich billich
deines Amptes erinnern, und da-
durch ergetzt, also mich dann
ganz darum sagen nicht
ich die Heinz ad morgen
mehr nicht ist heut nächst
welchen man dolengst
möglich setzen, von Gott den
Ehebrechen verlöschest, Exer-
ren, und gebrochen Ehe-
und damit alsdann
und fleischlicher Leben, mögt

Gaben an mir äußerst
will mangeln lassen sonder
die in denen angestammten
Pflichten mich vor Gott bald
verantworten, Hierüber, wie andere
versammten hindan gesetzt, sondern
sich von Tagen zu Tagen
tiefer in Liebe gegen die Creaturen,
sich über sie zu Vermessen,
daß du dich zu Gottes Ehren setzen und
freyen Künsten, durch andern
nützlichen Gaben, so bisher
emsig getrieben, und Kenntnis
unter mannig[fa]ltigen Gebräuchen
und Volk anzeigen, du sichtbaren
die vor andern eine Sonderbare
und ganz natürliche Zeichen
Hungk Tage, aller Tage sichtbare

eben, und denselbigen obligen.
Dieses aber, daß es desto füglicher
geschehen möge, und dir nicht
die gelehrten entkommen, will ich
dir des Ciceronis, und Terentij stü-
pta, darunter du finden wirst
etz rahte oder Anmerkungen hüpsch
und die lassen sein, flessig
zu examiniren befohlen ha-
ben, Datum Tholose den 25 tagk
Augusti, Anno 1541.

Haec scribebat Custerini David
Crisolen suo poedagogo Andrea
Krantz in perpetuam memo-
riam.

Christo vor in allen zugemachten
Sachen, und helffen nützlich nützen
Leben, köstlichen und lieblichen zu
erfinden wenden, dem Gottseligkeit,
Zucht, und gehorsam: Also ist
vornemlich Noth zu leben, so solche
nützliche und könnungenden in
viele Schulen erfunden werden: dem
ob gleich alle andere Tugenden
einen Schlüssen nemlichen Zucht und
wol Sitten, so sind sonst
die Gottseligkeit, Zucht, Fuhr und
Gehorsam unter denselben die vor-
nemlichsten, und aller nützlichsten
welche erbauten Jungen Knaben,
und Liebhaben die guten Künste,
sehr wol anregen. Darzu für
aus billich gottes Wille damit
die schönsten und grosse Sitten

solches Exempel, und nemlich
das grosse nutz, welches daraus
entspringet, vermahnen und
reitzen solle, auf den Verß.

Christ:

Et merito pietas hoc nitissima
nitet;

Wolseliges ist ein Gottseliges
exempel, wenn ein Gottseliges
und ein Gottloses beysammen
beyeinander vorgestellet wird.

Dies festi Concordie a Constantie synodi in eo
die gaudent in Romano & Mogūntino Co,
lonano. Eo die Lubecie anno 1546, 18 Febr:
morting & Luthero celestis doctrine restauratore:
de cuius obitu scripti sunt elegantiss. hi Versus:
Candida qua colit festa Concordia luce,
Hac cultu gens sancta Luthero tuet.
Teutonicum inter magnos percipit Constantia reges,
Germani gaudet hoc multa corona soli.
Luce eadem colit Constantia fortis eadem
Cum pia cohortes iuncta Luthero choreis.
Theologos inter gaudet constantia teutos,
Terret inferne gnos nona furina cohors.
M.C.K.C.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0216-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0217-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0218-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0220-1

In xto Restorati

Nunc mihi scripta schola tranquilla pace
Aurea q̃ dederat rectoribus alta Prouisa
Dei
Hic quoq; mea schola tegos, q̃ sancit in omnes
Vt maneat terris pacis et arma q̃s.
Musia me genuit, mihi Lypsia gloria artes
Atq; Gerus tribuit, scepta secunda
Saxo

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0222-2

X 2196515
Sb

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0223-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0224-3

PHILIPPI
MELANTHONIS EPI
GRAMMATVM LIBRI
TRES COLLECTI
AB
HILBRANDO GRATHV=
sio Vfflenienſi.

πᾶσ' ἀζῃ μικρὰς τέχνας κοσμῶν ὁ μελαγχθων,
οὐδ' εὐφρεσίων τιὼν ἧ νόμιζ' ὀλίγων.



VITEBERGAE
XCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO. M. D. LX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-184662-p0225-9